EXERCITIA QVÆDAM PIA;

QVAE COMPENDIO HOMInem ad vitam perfectam inſtituendam iuuare poſſunt: Authore Reuerendo Patre, D. NICOLAO ESCHIO: Iam primum ab ipſo recognita, & elaboratiùs in lucem edita.

CHRISTVS Matth. v.

Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.



ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
cIↃ. IↃ. LXIX.

PAVLVS ad Rom. XII.

Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

REVERENDO
PATRI D. PRIORI,

& cæteris venerandis patribus ac fratribus Carthuſiæ Colonienſis S. P. D.

NON *latere vos arbitror, patres ac fratres venerandi; quod ante aliquot annos, certa quædã Exercitia collegeram, quæ & mihi & alijs pietatis ſtudioſis hominibus vſui eſſe poſſent; præſertim quòd viderẽ difficile, imo propè impoſsibile eſſe, in vera pietate, abſq; pietatis exercitiis, proficere. Ea exercitia amicis quibuſdam tunc petentibus communicaueram, nihil ſuſpicatus minus, quàm quòd ſic in lucem ederentur; maximè cùm nec eo animo id feciſſem, vt prodirent in publicum; quandoquidem ſolo hortatu amicorum*

Dei,qui multis precibus animum meum vrgebant,ea conſcripſeram.Verùm cùm non deeſſent,qui ſperarent aliquem inde ad plurimos fructum promanaturum, ſi typis excuſa euulgaretur,quæ à me paruo ſtudio, recto tamen animo, paucis erant comprehenſa: illi additis quibuſdam,quæ deuotionem excitare poſſe videbantur, dilatauerunt, & typographo imprimenda dederunt; præfixa etiã epiſtola,quam hic ſubiectam videbis,ſed ex parte mutatam,nomine fratris Laurentij Surij,qui tamen eius author fuit minimè. Nam, vt poſtmodum certo intellexi, Surij nomen additum nõ eſt ab ijs, qui hæc typographo excudenda dederũt, neque ab ipſo Surio, ſed ab aliis quibuſdam,cum quibus mihi,quod ſciam,nulla vnquam interceßit familiaris conſuetudo. Porrò in eadem ipſa epiſtola, ſtatim in principio addiderunt, hæc exercitia cuidam celebris opinionis viro, diuini-

uinitus eſſe reuelata. Quod, etſi ego ſciã candidiſsimo animo ita ſcriptum eſſe, tamen ob id vehementer dolui, qui nec celebris vnquam opinionis eſſe optarim, nec etiam me eſſe ſuſpicatus ſim, neque me dignum exiſtimem, quem Deus vlla cœleſti reuelatione dignetur. Potuit verò id fortaſsis offendere plurimos, ſed mihi interim imputari non debet, qui nihil tale vnquã de me vel dici, vel ſentiri voluerim. Accidit deinde, vt etiam opuſculis D. Iuſti Lanſpergij (qui nunquam exercitia mea vidit) ſub eius nomine, hæc eadem insererentur; quæ itidem res non paucos male habuit, quaſi ego alienum opus mihi vendicarim. Cæterùm quicquid hac in re peccatum eſt, id non ſtudio neq; voluntate cuiuſquã, ſed tantum caſu quodam accidiſſe arbitror. His verò omnibus facilè mederi mihi licuiſſet, ſi ego Coloniæ, dum primo excuderentur, præſens fuiſſem. Nam ne-

que amici, me inſcio, quicquam attentaſſent; neque ego vt attentarent, paſſus fuiſſem. Sed hæc, quandoquidem ita facta ſunt, iam in meliorem partem merito accipi debent. Qui bonus & candidus eſt, omnia in bonam partem candidè interpretabitur; moroſis verò hominibus nec Deus ipſe ſatisfecerit. Quòd autem nunc demum hæc Exercitia, ſic vt à me caſtigata ſunt, nomine proprio, edere voluerim; partim me mouit, quòd hactenus bis terúe prodierunt, nulla mea caſtigatione vel recognitione adhibita; partim etiam vt hominum à me ſuſpiciones amouerem, quibus offendiculo vel fuit, vel eſſe potuit, nimis honorifica nominis mei mentio. Nam cùm viderē hæc noſtra cū Thauleri exercitiis denuo eſſe impreſſa, operam dedi, vt quæ redundare videbantur, reſecarē; quæ deeſſe, adiicerem; poſſentq; tandem citra vllum mendacium, meo nomine in omnium manus exire.

exire. Scio pleraq; exactius & elaboratius conſcribi potuiſſe: ſed mihi ſatis eſt indicaſſe hominibus Deo placere cupientibus, quibus exercitiis illius ſibi gratiam & amicitiam conciliare, atq; indies auctiorem reddere poßint. Spero autem & confido in Domino, ſi quis iis rectè, atq; ordine vti voluerit, nunquã fore, vt eum in iis excolendis, ſuſcepti laboris pœniteat. Sunt quidem, fateor, ſimplicia; ſed ſimplicitate Deus oblectatur. Nos qui Chriſtiani ſumus, debemus de Domino ſentire in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærere illum. Finis præcepti, inquit Apoſtolus, eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide nõ ficta. Huic obtinendæ & augendæ charitati iſthæc ſeruiẽt Exercitia; quam vtinam in me, & in omnibus qui legunt, vehementer accendant. Fortaßis autẽ, ad ea nauſeabunt plerique; nimirum qui terrena ſapientes, huic mundo, & prauis

cupiditatibus ſuis manent dediti. Verum tales mirari non debent, ſi eorum palatũ malis humoribus infectum, non delectet neque afficiat cibus bonus & ſalubris. Oportet enim vt interioris hominis ſtomachum per veram & Chriſtiano homine dignam pœnitentiam (quam etiã Dominus Ieſus, in ſuæ prædicationis initio ab omnibus vel maximè exegit) à prauis humoribus abſtergant, atque ita tandem cum ſumma auiditate & lætitia ea ſuſcipient, quæ prius videbãtur amara. Virtus omnis, cunctaq; ſpiritalia exercitia, in ipſo primo aditu, ſuas habent difficultates & amaritudines: ſed dum ſenſim quis ſtudet in eis proficere, mirabiles adferunt delectationes. Sicut & in rebus fit exterioribus, vt vbi quis artem quamcunq; mechanicã exercere volens, in ea addiſcenda non ſine laboribus & difficultatibus fuerit, poſtmodum aſſuefactus, nullum ſentiat laborem, vel certè

magis

magis ac magis progrediẽdo, faciliorem inueniat: tum quia plus experientiæ in ſua arte acquirit: tum etiam quod plus emolumenti recipiat. Iſtud autem emolumentum quale eſt? nónne terrenum? nónne caducum? nónne periturum, multiſq; periculis obnoxium? Et tamen ita multorum mentes oblectat, vt propter illud acquirendum, omnem ſufferre laborem, omnem ſubire difficultatem, omnemq; lapidem mouere non grauentur. Quis igitur erit, poſtquam bonũ vtcunque in virtutibus iecerit fundamentum, etiam ſi multum deinceps ſudare, etiam ſi perpetuo ſe labore perfectionis adipiſcendæ, macerare cogeretur, qui nõ flocci id pendat? quando ſecum cogitat, momentaneos huius vitæ labores, immenſo futuræ beatitudinis præmio remunerandos. Euntes ibant & flebant, inquit ſanctus ille Dauid, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum

exultatione portantes manipulos ſuos. Sed de his ſatis. Quando quidem verò, ita iam in conſuetudinem veniſſe conſpicimus, vt nihil ferme librorum emittatur in lucem, quod non certo alicui patrono dedicetur; volui & ego vobis, Reuerendi & religioſi PATRES AC FRATRES, *quibus maximè hæc conſcripſi, hunc meum qualemcunque laborem dedicatum & conſecratum eſſe: tum quòd vos ſciant huiuſmodi pietatis exercitiis delectari; tum vt ſit mea erga vos obſeruantiæ, & pro maximis in me collatis beneficiis, grati animi perpetuum teſtimonium. Noui candorem veſtrum, quòd etiam exigua non contemnatis. Debebam quidem pro veſtris in me meritis offerre maiora; ſed vos non tam munus oblatum, quàm animi ingentem voluntatem, ſat ſcio, conſiderabitis.* CHRISTVS IESVS DEVS AC DOMINVS

MINVS NOSTER, *ſua gratia & benignitate vos ſeruet & tueatur, Patres & Fratres mihi in eodem longe chariſſimi. Datum in Dieſt, 28. Aprilis. Anno 1568.*

R. V. addictiſſ.

Nicolaus Eſchius, Paſtor S. Catherinæ in Beginagio Dieſtẽ.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

EA, quæ ſequuntur, exercitia, amice Lector, facili compendio hominem bona ac feruēti volūtate præditum, ad ſingularem Dei amicitiam, & ad magnum perfectionis gradum perducunt: idq; ita, vt neminem grauent, nemini, quo minus, quæ ſui ſunt ſtatus ac muneris, exequi poſſit, vllum præſtent impedimentum, ſi tamen iis bene vti norit: quin potius mirum in modum hominem releuēt, & aptū atque idoneum efficiant ad externa internaq; omnia, cum Dei gratia, proſperè administranda. Vnde cum implacabili in nos odio ſtimulatus peſtifer ſerpens, non deſinat pios ab iis quæ poſſint illis ſaluti eſſe, innumeris pene machinationibus, dolis ac moleſtiis auocare, id nobis monendus es, Chriſtiane Lector, vt ne qua illius fraude ab huiuſmodi te piis exercitiis, retrahi patiaris: ſed contemptis omnibus, quæ ille animo tuo ingerere poſſit, Dei clemētiam precibus continuis pulſes, vt horum tibi exercitiorum cultum, guſtum, fructum, & effectus largiatur, quod vt impetrare ſis idoneus, curandum tibi erit, vt perpetuo tibiipſi obſeruando inuigiles, & ab oratio-

nis

nis ſtudio nunquá diſcedas. Nam ſine his duobus, puta orationis laboriſq; inſtantia, nihil hinc obtinebis. Sed & hoc cum primis neceſſarium eſt, vt bene ſis à vitiis expurgatus: & vt ſciens ac prudens nullum intra conſcientiam peccatum retineas, cuius te verè non pœniteat, quodq́; vel confeſſus non ſis, aut confiteri nolis. Ad hæc non leuiter hominum vultus, nec vllas rerum labentium vanitates fixè ac curioſe contueberis: ſed oculis demiſſis ſemper magis ad Deum intra te præſentem, quàm foras ad creaturas reſpicies. Nunquam etiam vanus aut leuis eris, ſed amans pias & dulces lachrymas, & luctum ſanctum ex amore naſcentem, pro tuis cæterorumq́ue hominum peccatis Deum precaberis. Deinde quolibet die inuocato humiliter Spiritu ſancto, ſine quo nihil poteris, mane vna hora, ac veſperi ſimiliter teipſum in obſcuro & ſolitario loco collocabis, ibiq́; in teipſum introgreſſus, Deum tuum tibi reuera præſentem attendes: atque in quolibet horum exercitiorum octo vel decem, aut duodecim, plures etiam paucioreſuè dies deuotè orando ac meditando verſaberis, quemadmodum tum res ipſa, tum tuæ perſonæ ratio exigere videbitur: atque interim miſſa facies alia voluntaria exercitia, quæ tibiipſi conſtituiſti, vt ſic tota die

ac no-

ac nocte id, in quo laboras, exercitium memoriæ tuæ ac deſiderio propoſitū ſit, animoq; infixum. Tum etiam ſenſus tuos intra te colliges, vireſq, animæ cunctis friuolis imaginibus nudatas, tam profundè in Deum tuum defiges, imprimes, immerges, vt ex nulla creatura, quantum poſſibile fuerit, aliquid medij patiaris. Quod ita fiet, ſi quadam animi æquabilitate, placidè, & abſque cordis immoderata ſollicitudine & affectu, quæ facienda ſunt facias, ſeruata ſemper cordis libertate, vt ne illud ea occupent aut lacerent, ſed ſimpliciter cuncta referant in Deum, cui vtique perire nihil poteſt. Conferet etiam non parum ad proficiendum in eiuſmodi ſpiritualibus exercitiis, præcipue in vera Dei atque tuiipſius cognitione, vnius alteriuſue capituli attenta lectio, profundaq; ruminatio, ſiue ex S. Auguſtini Meditationibus ac Soliloquiis, ſiue ex aliorum id genus piis opuſculis. Similiter multum proderit ſubinde legere, quę apud Henricum Harphiium, & alios quoſdam viros contemplatiuos, de eadem perfectionis via, pluribus locis tractantur. Ex quibus omnibus, quiſque perfectionis ſtudioſus, veluti diligentiſſima apis, exugere poteſt mellifluam dulcedinem, qua ſpiritus ſuus ſupra modum in hac via confortabitur. Cæterum ne per inordi-

ordinatam triſtitiã (quæ facilè irrũ pit ob peccata præterita vel præſentes tentationes) profectus tuus impediatur, neceſſe eſt vt humili cordis conuerſione atq; ignitis ſuſpiriis, ad Deum fortiter teipſum erigas: cauens ne anxiè nimis, cum aliqua triſti mora puſillanimiter huiuſmodi peccatis ſeu tentationibus inhæreas; alioquin magnum præſtabunt perfectionis impedimentum. Hæc enim vna omnium facillima ratio eſt tentationes ſuperandi, vt quoties eas perſenſeris, non conſentias; & mox amoroſe cor tuum ad Deum tuum ſuſtollas, confidens, per Dei clementiam leuia peccata venialia, facilè admodum & efficaciter amoroſa & feruenti mentis ad Deum conuerſione, atque vera contritione deleri. Præterea, vbi plus ſolito gratia te deſtitutum ſenſeris, intentis meditationibus amiſſum cordis gaudiũ reuocare potes, rememorando affectuoſe Dei tui & redemptoris charitatẽ infinitã, atque immenſa beneficia, cum ſacratiſſimis meritis paſſionis eiuſdem; quæ omnia & ſingula ad diuinas laudes, facilè mentem tuam excitabunt. Tunc denique exultans cum Dauide cogitabis, bonum tibi eſſe adhærere Deo, bonũ eſſe huic vni vacare, hunc ardenter ſitire, aſſiduè meditari, ad huius præſentiam, vigilando atque orando, dul-

cıſſi-

ciſſimis amoris lachrymis ſuſpirare. Vt verò ſummam horum paucis abſoluam, hoc vnum dico, ſi ad Dei contemplationẽ præparari velis, primo vitia omnia deſeras oportet, terrena quæque faſtidias & calces; Sancti ſpiritus viſitationẽ ſiti bitũdo cordis affectu deſideres; gratiam hanc contemplationis à Deo continuè preceris; ad amorem vnientem ſeu Exercitiorum omnium finem, iugiter aſpires: atq; in his omnibus, donec ea adipiſcaris, magna contentione labores, carnis curam ſuperfluam, etiam in licitis & cõceſſis, ob ſtudium diuini amoris, ſæpe reiicias ac repellas, certus quòd quò amaueris ardentius, eò Deũ O[illegible] Max. propius cõtemplaberis. Vale.

[illegible] AEſchij exercitia ἐγκωμιαστικὸν
cum deſcriptione priuati &
[illegible] diuini amoris.

AD [illegible] LECTOREM.

PErfecta quicunqûe velis diteſcere vita,
Has cape, quas profert iſte libellus opes.
Eſt aurum, & gemma, & perpulchra monilia, quæ (dat,
Mentis vt exornes interiora tuæ.
Et docet eximiæ, qua qũis ratione tropheum
Virtutis, referat victor ab hoſte ſuo.
Forte ſed inquires, dicens; precor, iſte quis hoſtis,
Quo victo referam parta trophæa, meus?

Eſt

Eſt caro? vel mundus? vel vtriſq; potentior ille
Spiritus, in ſuperis qui ſolet eſſe locis?
Non caro: non mundus: nec vtriſq; potentior ille:
Sed propriæ quærens vtilitatis amor.
Hic tuus eſt hoſtis, tuus hic exactor, ab illo
Tollitur inſignis mentis imago tuæ.
Ille tibi mentem obſcurat, reprobátque quietem
Pectoris: immenſo corque labore premit.
Ille nec in charos aperit ſua viſcera: claudit
Omnibus: at propria commoditate fluit.
Quærit cuncta ſibi, quæſitáque ſeruat, & horret
Candida vicini lucra videre ſui.
Eſt amor hic peſtis quædam, rabiéſque furórque
Mentis, & æternæ perditionis iter.
Quapropter ſtudeas tantum ſuperare tyrannum,
Namque magis nullus vulnerat hoſtis, eo.
Sunt equidē cum carne & mundo, & dæmone, toto
Tempore, quo viuis, prælia dura tibi.
Hæc tamen excedit, quod habes certamen in hoſtem
Priuatum, ſemper qui tibi fixus ineſt.
Fixus ineſt menti, mentem tamen impetit: illum,
Quo placidus reſidet, vaſtat, edítque locum.
Quem niſi deſtituas, non deſtitueris ab ipſo:
Eſt amor hic animæ mortis origo tuæ.
Hanc tibi vituperat mortē pius Aeſchius: at vult,
Vt te viuifices plenus amore Dei.
Hic tuus eſt & amicus, & exornator, ab illo
Pingitur excultè mentis imago tuæ.
Ille tibi mentem illuſtrat, ſeruátque quietem
Pectoris, immenſo córque labore leuat.

Ille nec ingratis claudit ſua viſcera; pandit
Omnibus: & multa præ pietate fluit.
Offert cuncta Deo; donatáque donat, & horret
Triſtia vicini damna videre ſui.
Eſt amor hic felix, purúſque affectus, honórque
Mentis, & æternæ dulce ſalutis iter.
Quapropter ſtudeas totum te impendere amori,
Quo magis haud vllus fidus amicus erit.
Semper ineſt menti, mentem tamen inuocat: illum
Quo placidus reſidet, ditat, alítque locum.
Quem niſi deſtituas, non deſtituêris ab ipſo:
Eſt amor hic animæ vita beata tuæ.
Hanc tibi cõmendat vitam pius Aeſchius: at vult,
Vt te mortifices caſſus amore tui.
Namque prius niſi ſis proprio vacuatus amore:
Non potes impleri totus amore Dei.
In quo quiſque velis fieri perfectior: iſta
Perlege, quæ paruus ſcripta libellus habet.

VITA

VITA PVRGATIVA QVO PACTO EXERCENDA.

Deus quid ſit, quid eius perfectiones & amor ad homines; quomodóque ad eiuſdem cognitionem pertingere liceat.

EXERCITIVM I.

PRIMO exercebis te in forti, perfecta & profunda cognitione domini Dei tui, quantum per gratiam Dei obtinere potueris. Hanc autem cognitionem maxime impetrare conaberis feruidis deſideriis & deuotis orationibus, atque etiam arduis ſtudiis & laboribus externis. Dei enim donum ſingulare & pretioſum valde eſt, cognitio Dei ſummi boni, Chriſto teſte. Hæc eſt autem vita æterna, *Iohan. 17.*

Cognitio Dei quomodo obtinenda.

vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quapropter ſæpenumero humili & profundo corde ipſummet Deum tuum deſiderabis cognoſcere atque poſſidere: orabiſq; vt tibi manifeſtare dignetur ſeipſum, ſuamq; voluntatem beneplacẽtem & perfectam. Attende itaque eius æternam & infinitam potentiam, ſapientiam, bonitatem, & incomprænhenſibilem amorem. Conſidera quid ſit dominus Deus tuus. Quis, Qualis & Quantus, nempe Deus altiſſimus, & ſuper omnia potẽtiſſimus, incomprænhenſibilis ſapiẽtia, ſumma veritas, æterna & immutabilis bonitas, & ſempiterna ſubſtãtia, & charitas infinita, qui in ſeipſo adeò exiſtit magnus, ſapiens & ineffabilis, vt à nulla creatura plenè cognoſci aut comprænhendi queat. Expende inſuper, quod Deus eſt verus, proprius, naturalis locus, ſedes, centrum

Quid ſit Deus.

Deus eſt centrum animæ.

trum, & vita animæ tuæ, in quo anima tua per ſuam ideam ab æterno quieuit, à quo tẽpore creationis effluxit, & in quem redire debet, & in eo & per eum quieſcere, ſi in æternum ſaluari velit.

Sancta Trinitas.

Sanctam quoque Trinitatem deuotiſſimè adorabis & laudabis, hoc vel ſimili modo: O ſanctiſſima Trinitas, tua dulciſſima vnitas per amorem fluat, obſecro in me, & in omnes creaturas te laudare valentes. Contemplare patrem eſſe ſummum, æternum, ineffabile & incomprehenſibile bonum, qui ex ſeipſo profert bonum æternum ſibi coæquale & conſubſtãtiale, quod eſt eius vnicus filius: qui duo infinita charitate & incomprehẽſibili complacentia ſeſe inuicem diligunt: & hæc charitas Spirituſſanctus eſt. Aſſueſce ſæpius, imo & aſſiduè ad dulciſſimum Deum tuum, talemq; ac tantum dominum aſpirare & dicere: O domine Deus

meus oſtende mihi teipſum, & ſufficit mihi. O dulciſſime Deus, infunde mihi lumen vultus tui, accende cor meum mellifluo amore tuo; conforta infirmitatem meam dulciſſima præſentia tua. Et ſimilia alia multa, prout vnctio docebit. Meditare etiã quomodo ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, cui omnis honor & gloria ſit in ſecula ſeculorum, Amen.

Roma. 11. Omnia vt ſint ex Deo.

Eſſentia Dei qualis ſit.

Cæterum, cum ex notitia & clara cognitione Domini Dei creatoris noſtri omnia bona in animam promanent, quæ diabolus nobis inuidens, tota malitiæ ſuæ virtute nititur impedire; & nos excæcare: atque ediuerſo; ex eius ignorantia ſeu obliuione omnis tentatio, amaritudo, & dãnatio in nobis ſuboriantur: hinc danda tibi opera eſt, vt domini Dei tui omni tempore, quantum potueris, dulciter & amoroſe recorderis, & ſaltem hæc tria, videlicet

licet eius infinitam potentiam, ſapientiam, & æternam charitatẽ, aſſiduè ob oculos mentis geras.

I *Perfectiones diuinæ quæ ſint.* Primò attende infinitam eius nobilitatem, ſublimitatem, iuſtitiam, pulchritudinem, potẽtiam, ſapientiam, bonitatem, charitatem, dulcedinem, liberalitatem, miſericordiam, & alias innumeras eius perfectiones; quæ reuera adeo in immẽſum omnem creatum intellectum vincũt, vt quicquid de his creaturæ ſimul omnes capere aut dicere poſſint, minus ſit, quàm gutta vna ad vniuerſum mare comparata. Et hic tantus Dominus animam tuam *Geneſ. 2.* ad ſuam ſimilitudinem nobiliſſimè creauit, ſuiipſius per amorem capacem. Cui tres nobiles vires indidit, vt ipſum non ſolùm in futura, ſed etiam in præſenti vita per intellectum fide & contemplatione cognoſceres; per voluntatem tuam eligeres & amares; & per memoriam in eo requieſce-

res, illiq́; fideliter adhæreres, & eius comparatione omnia alia pro nihilo duceres. Et reuera ſi ſaperes, tanta in illum complacẽtia & dilectione rapereris, vt præ gaudio & admiratione quodammodo deficeres: ſicut Pſalmiſta dicit: Defecit in ſalutare tuũ anima mea: læta quoque & triſtia nõ curares, neque animaduerteres, nec ad momentum quidem te ab intuitu & amore ſummi iſtius boni diſiungi patereris.

II *Præſentia Dei vti ſpeculanda ſit.* Secundò, vide ingenti cum lętitia & gratitudine, vt idem tantus ac talis Dominus ex æterna charitate ſua multo interius veriusq́; ſeſe tibi vbique locorum, & maximè in anima tua præſentẽ exhibeat, quàm ſis ipſe tibi, vt te in eſſe conſeruet, regat, faciatq́; ſaluum ac beatum: atq; ideo magna tibi indicta eſt neceſſitas probitatis obſeruandæ, ſi diſſimulare nolis, cum agas omnia corã oculis cuncta cernentis. Vide, inquã, cha-

chariſſimum Deum creatorē & amatorem tuum, tibi perpetuo præſentem & intentum: & ambula ſicut caſta ſponſa, cum magno timore & reuerentia, pudore & humilitate, obediētia & patientia, coram oculis altiſſimæ maieſtatis eius: indeſinenter te præparans vt illi placeas: & ſuſpirans, vt illum toto corde diligere, & amplecti valeas. O quanta gratiarum affluentia hinc tibi accreſceret, ſi ita ageres.

III *Dilectio Dei ad nos vt cōtemplanda.*

Vide tertio, vt idem tantus dominus, tam immenſa & æterna charitate, conſtanti gratuitaq; dilectione perpetuo ad te conuerſus eſt, vt omnē etiam angelicum vincat intellectum: tanta enim eius eſt erga te immundum vermiculum dignatio, qua tibi intendit, adeoq; tui curam gerit, ac ſi nulla alia, vel in cælis vel in terris creatura ſupereſſet: & à tot & tantis malis & periculis animę & corporis te eripuit & defen-

dit, totq; & tantis beneficiis gratis te præuenit, ornat & proſequitur, omni momento temporis licet ingratiſſimum, vt vel exiguã illorum partem numerare nunquam ſufficias. Ex hac etiam charitate liberrimam tibi vel momẽtis ſingulis ſe accedẽdi copiã prębet; adeo vt vel ſolo pio deſiderio, ipſum ſummũ valeas bonum obtinere & poſſidere; ipſiq; vniuerſas neceſſitates tuas, velut amico omnium fidelisſimo, ſecuriſſimè pandere. Inter infinita autem præconia quæ de Deo tuo ſcribenda atque penſanda forent, iuuabit te vel maxime, vt frequẽter mediteris Dei creatoris & redemptoris tui bonitatem, pulchritudinem, pietatem, miſericordiam, dulcedinem, amabilitatem, charitatemque perennem & infinitam: vt per eas, velut per ignitos quoſdam carbones, in cor tuum congerendos, ipſe in eaſdem virtutes transformeris, &

ad

ad reddendam qualemcunque amoris vicem accendaris. O ſi ſupradicta tria fideliter exerceres, quàm dulciter mane ad Deum tuum euigilares, quàm citò ab omnibus vitiis & inordinatis paſsionibus, amaritudine quoq; & omni tentatione liberareris, & amore conditoris totus inebriatus, in virum alium mutareris! quia nullum iſto ſanctius & fructuoſius inuenitur exercitium, quod D. Auguſtini & aliorum Dei amicorum corda iaculo amoris medullitus interdũ tranſfixit; quum illuminatis oculis attenderent ſtupenda amoris inſignia, præſertim in incarnatione, vita, & paſsione illius, cæteráque innumera beneficia à tanto domino ſibi impenſa, iuſtoq; perpẽderent iudicio charitatem illã nimiam, qua tantus dñs ſeſe naſcẽs dedit nobis ſociũ, conueſcens in edulium, moriens in precium, & regnans ſeruat in præmium.

HOMO

HOMO QVAM SIT NOBILITER *creatus, miſeréque collapſus, miſeria item hominis triplex quæ ſit, quomodóque ad ſui cognitionem pertingere poſsit.*

EXERCITIVM II.

Creatio. SEcundo exercebis te in profunda cognitione tuiipſius. Attende ergo quàm nobiliter anima tua à Deo creata ſit ex nihilo, ad imaginem & ſimilitudinem illius. *Lapſus.* Et quam miſera, fœda & abominabilis facta ſit per peccatum originale. Et quod inde per baptiſmum liberatus & redemptus *Cognitio ſui quomodo acquirenda.* ſis per ineffabilem amorem, & amariſsimam ſatisfactioné & merita Ieſu Chriſti: quod poſtea teipſum iterum & ſæpius maculaſti, & auerſionem à ſummo bono feciſti, per tuam propriam voluntatem, & actualia peccata: & factus es turpior & vilior quauis irrationali creatura. Eia attende, in quanta mala per pecca-

ta tua propria lapſus ſis: quòdque ex teipſo nunquam inde reſurgere valebis, niſi conuerſus ad Deum fueris, in quo ſolo poteris omnia. Nam per verā amoris ad Deum & omnes virtutes cōuerſionem licebit vtique redire ad vnionem Dei.

Attende te idcirco à Deo creatum, vti ſemper eū ipſum diligere, cōtemplari, frui, poſſidere debeas: quòdq; hic poſitus ſis à Deo, vt ipſi fideliter ſeruias, & gratias agas: ipſumq; laudes, benedicas & honores, eius quoque gratiſsimam volūtatem in te & in oībus creaturis agnoſcas & exequaris. *Cur creatus ſit homo.*

Conſidera te etiam hic ſecundum animam eſſe in terra aliena exulem & peregrinum, multis laqueis & hoſtibus circūdatum, & mille periculis expoſitum: qui ſi in Dei timore & amore permāſeris, nemo te lædere poterit. *In exilio viuis.*

Attende denique, quam incōprehenſibiliter nobilis, pulchra, *Nobilitas animæ non vilipendenda.*

ſapiens, à Deo ſit condita anima tua ad ipſius imaginem & ſimilitudinem: factus es nihilominus ſecundum corpus de limo terræ infirmus, miſer, vilis & egenus, ad omnia peccata & vitia pronus, tendensq́; ſemper ad interitum. Itaque vide, ne propter viliſſimi corporis tui viles & fœdas, citoq́; tranſeuntes voluptates, nobiliſsimam animam tuam cogas ſeruire corpori; & ita ipſam cum corpore perdas, & æternis ignibus àddicas.

Conſidera diligenter omnes cogitationes, verba & opera tua; an finis & ſcopus omnium viriũ & ſenſuum tuorum ſemper ad Deum tendat, vel ad teipſum, ſiue ad creaturas: & videbis te nunquam ſatis teipſum humiliare & emendare poſſe. His addere licebit quicquid tibi ad tuiipſius cõtemptum conferre poterit. Attẽde quoque ſæpius, quid, qualis, vnde, & vbi ſis, & quo abiturus

poſt

poſt hanc vitam.

Quapropter deſidera contemni, deſpici & ignorari ab omnibus hominibus, abſque tamẽ tua culpa: & mundo gaudente, tu teipſum cum Chriſto afflige, & time ſemper & vbique Deum filiali timore. Humillima quoque profer, cogita & age, ſemper credens inſtare aduentum ſponſi tui cæleſtis, dicentis: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. *Ama contemni.* *Matth. 25.*

Clamabis denique humiliter ad Dominum ex abyſſo miſeriæ tuæ, inuocans abyſſum miſericordiæ illius cum frequẽti perluſtratione conſcientiæ tuæ, quò ſua ſingulari (qua ad hoc indiges) gratia tribuat tibi clarè dinoſcere omnia tua vitia, paſſionesq́; & propenſiones vitioſas, & peccata vniuerſa, quæ in viribus & ſenſibus tuis intus & foris hærẽt, & abſcondita latent, animam tuã miſerè obcæcantia, & ad interitum trahentia: vt vel ſic tandẽ diſcas, *Examina te vt noſcas teipſum.*

ſcas noſſe teipſum. Nec tamen, etiam ſi multum profeceris, ad prauitatis tuæ videndum finé penetrare valebis. Adeò enim prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, teſte propheta Hieremia.

Hierem. 7.

PECCATORVM ENORMItas *quanta ſit, quo item pacto ſeſe vnuſquilibet à peccatis per pœnitentiam expurgare debeat.*

EXERCITIVM III.

Vt cognoſcas peccatorum enormitatem.

TErtio exercebis te in generali contritione, confeſsione & emendatione omnium peccatorum tuorum, deflens ea ex vero amore Dei, & profundo odio tuiipſius & omnis peccati. Vt autem ad perfectũ tuiipſius odium pertingere valeas, perſuadebis tibi, neminem in mundo eſſe, qui tantam Deo iniuriam & cõtemptum irrogarit, atque tu. Quapropter omni pœna & contumelia

lia mundi & inferni te dignum indicabis, pro multis grauibusq́; peccatis tuis, negligẽtia quoque multiplici & ingratitudine tua. Cuius rei gratia voluntatẽ tuam adeò obfirmabis in Deo, vt paratus ſis pati omnem iniuriam, contumeliam, irriſionem, improperium, & vilipenſionem, quam omnes creaturæ voluerint aut potuerint tibi inferre. *Reſignatio ad pœnam.*

Et vt ad purũ pro peccatis tuis dolorem peruenias, ſtatue te coram iuſtiſſimo vultu Dei, bis in die, cogitans te mortem ęternam meruiſſe, & cito iudicium tuum in te pronunciandum eſſe: ſperans nihilo minus, per miſericordiam Dei immẽſam, per ſanctiſſima Chriſti merita, & per orationem & laborem contritionis, veniam & gratiam apud miſericordem Deum inuenire: doleáſque lamentabiliter, quòd ſummę poteſtati, ſapientiæ & bonitati Dei tantam iniuriam & contem- *Vt deplores peccata tua.*

ptum exhibuiſti, qui omni honore & laude digniſſimus eſt: dicens hoc, vel ſimili modo: O domine Deus meus, omnipotens creator & redemptor animæ meæ, ecce ego ſum peccator ille viliſſimus & miſerrimus, qui infinitam bonitatem, ſanctitatem & charitatẽ tuam innumerabiliter & grauiſſimè offendi; multa nimis mala commiſi, & bona omiſi. Hinc teipſum ſeuerè diſcutere, iudicare & punire curabis, ne à Domino iudiceris: attendẽdo qualiter dominum Deum fideliſſimum patrem tuum in decem præceptis, & in ſeptem peccatis mortalibus, & in nouem peccatis alienis, & in ſeptem operibus miſericordiæ tam ſpiritualibus quàm corporalibus contempſeris, offenderisq;.

Conſcientia ſua vt cuique diſcutienda ſit.

Deniq; de oĩbus generatim peccatis tuis, & de quolibet ſpeciatim, aſſumas mœrorem intimum & tantũ dolorẽ, quantũ delectationis in pctĩs perſenſiſti, ex vera con-

Petitio veniæ.

contritione & profundo corde dicens: O dñe Deus meus, obſecro te per ſanctiſsimã tuam cõceptioné, natiuitaté, cõuerſationé, duriſsimum laborem, & omnem ſacratiſsimi ſanguinis tui effuſionem, & per omnem amaram paſſionem, & acerbiſsimam morté tuam, remitte mihi omnia peccata mea. Obſecra quoque glorioſam virginem, miſericordiæ matrem, cum omnibus ſanctis, per omnia quæ propter Deum ſuſtinuerunt, vt apud eum pro te interpellent, quo & veniam dare cũctis erratis tuis, & ita in ſe ipſo te confirmare dignetur, vt nunquam ad peccata redeas. Deniq; tantum peccatorũ tuorum odiũ concipies, vt potius mortem obire velis, quàm rurſus vlli peccato cõſentire. Caue autem ne puſillanimis fias, ſed confide infinitæ miſericordiæ Dei, qui paratus eſt in gratiam te recipere, & priſtinæ puritati reſtituere, ſi illi

pro modulo tuo ſatisfeceris pro peccatis tuis.

II. *Vt offeras te totum ad emẽdationem.* Secundo offeres Deo pro peccatis tuis animam tuam & corpus, & quicquid habes, deſiderando ea omnia conſumere, & offerre illi pro honore eius. Et vt efficacius animam tuam totam cum viribus ſuis Deo immolare valeas, ita cogitabis: O Domine, iam nolo deinceps quicquã geſtare in memoria mea, niſi te Deum, meam originem, in quo ab æterno fui, & ex quo emanaui: neque aliud cognoſcere in intellectu meo, quàm te ſolum Deum meum, & omnes creaturas in te: neque aliud velle aut deſiderare in volũtate mea, quam ſolius gratiſsimæ voluntatis tuæ executionẽ. Corpus quoq; tuum Deo offeres hoſtiam viuam & perpetuam, quemadmodũ in veteri teſtamẽto ſacrificaturi ligna ponebant in altari, & hoſtiam deſuper ſuppoſito igne cremabant

in

in holocauſtum:ita & tu in altari cordis tui ligna, id eſt, peccata tua colliges: & hoſtiam, id eſt, corpus tuum offeres, quod ſpiritualiter moriatur neceſſe eſt, orabisq; feruenter dominum in hūc modum: O domine accende holocauſtum meum, vt totum comburatur & abſumatur in amore tuo, vt tibi grata & accepta hoſtia fiat ad æternū honorem tuū. Offeres etiam Deo temporalem ſuſtentationem corporis tui, deſiderando rebus huic neceſſariis non aliter vti, quàm ad æternum eius honorem, & animæ tuæ ſalutem, nullam in ea oblectationē, nullum priuatum commodum ſpectans. Quin etiam deſiderabis omnibus, ſi Deo placuerit, neceſſariis ſpoliari, pauperque & nudus inueniri, ſicut ipſe Chriſtus pauper & egenus fuit.

Tertio, pœnam corporalē cum diſcretione aſſumes ex magno amore, iuxta magnitudinem pec- III. *Pœnam tibi inflige.*

catorum tuorum : ſtatue ergo te coram cruento corpore Chriſti Ieſu in cruce pendente & vndiq; vulneribus atque doleribus propter peccata tua repleto, & in corde dicito:

O Domine, ſi tuæ gratiſſimæ placitum eſſet voluntati, ſæpius mori optarem pro peccatis meis; paratus eſſem in quolibet articulo corporis mei pati ſingularem pœnam ad honorē nominis tui. Hinc propone quælibet membra corporis tui, quibus ad peccatum vſus es, de cætero accommodare & impendere ad ſummum Dei honorem: teq; ad hoc compelle quantumuis durum & moleſtum tibi fuerit, vt Deo pro peccatis tuis vicem qualemcunque reddere valeas in pœnitentia & afflictione cordis tui. Poſt hæc toto corde dolebis te nō ſatis dolere ac pœnitere, iudicando etiam inferni pœnis te dignū eſſe, quòd filium Dei rurſus crucifixe-

cifixeris, & toties conculcaueris, & ſanguinem teſtamenti in quo ſanctificatus es, pollutum duxeris, & ſpiritui gratiæ contumeliã feceris. Porrò ſi clarius videre volueris abominationes tuas, ſicuti in iuſtiſſimo Dei iudicio, niſi eas hic deleueris à te requirentur, matura diſcuſſione expẽde, qualiter, quoties & quantum offendiſti & quo contemptu affeciſti dominum Deum tuũ circa decem eius præcepta, duodecim conſilia Euangelica, duodecim articulos fidei, præcepta & ſtatuta Eccleſiæ Catholicæ, vota & inſtituta ordinis, ſtatus & vocationis tuæ peccando: item ſeptem dona Spiritus ſancti, ſeptẽ opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia, ſeptem ſacramẽta Eccleſiæ, gratias & inſpirationes bonas, incarnationis, paſſionis, & alia beneficia Dei, donaq; naturæ, gratiæ & gloriæ, virtutes theologicas, & morales vel negligen-

Hebr. 10.

Puncta pro clara cognitione peccatorum tuorum.

gligendo, vel vilipendendo. Item diligenter tecum expende qualiter dominum Deum tuum offendiſti per tres potētias animæ tuę, per quinque ſenſus & membra corporis tui: in VII. peccatis mortalibus & IX. peccatis alienis, omnibusq́; viciis ex illis pullulā-tibus, quid deniq; in omni ætate, loco, ſtatu, & officio, in quibus vixiſti, commiſeris: quātum cogitatione, locutione, opere, omiſſione, temporis perditione & ingratitudine, contra Deum, ſanctosq́; & angelos eius exceſſeris, quotieſque peccaueris contra omnes cuiuſcunq; ſtatus proximos tuos, videlicet contra iuſtos Dei amicos, infirmos quoq; & peccatores, contra benefactores & amicos, contra ſuperiores, æquales & inferiores, viuos & defunctos, contra creaturas omnes, teipſum quoque, id eſt, animam & corpus tuum; & quomodo his abuſus es, in cōtumeliam

crea-

creatoris,in iniuriam proximi, & in damnationem tuiipſius , ita quòd nullum ſit momentum vitæ tuæ, nec vllum Dei donum & beneficium, neque vllum opus bonum, in quo Deum toto corde purè, vt debueras, quæſiuiſti: quin potius ſubtili quodam proprij amoris, commodi, voluntatis aut delectationis veneno illud commaculaſti , & multipliciter peccando perdidiſti. Igitur dum miſericorditer expectat iuſtus iudex, præuenias faciem eius in confeſſione,lauando per ſingulas noctes lectum conſcientiæ tuæ lachrymis tuis, ne intret in iudicium cum ſeruo ſuo: quia nõ iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens. Clariorem horũ omnium explicationem pete ex libris, ſi non ſuppetit memoria. Vide ſaltem profunda conſideratione, quàm ineffabiliter deliqueris tam commiſſione , quàm omiſſione, circa duo illa præce-

Pſal. 94.
Pſal. 6.
Pſal. 142.

pta. Diliges dominum Deum
Deutero.6. tuum ex toto corde tuo, &c. Et
Matth.22. proximum tuum ſicut teipſum,
Aut potius qualiter in his VII.
virtutibus videlicet Fide, Spe,
Charitate, Prudentia, Iuſtitia,
Temperantia, & Fortitudine, atque
omnibus perfectionibus in
illis incluſis, & vitiis eiiſdem oppoſitis
peccaueris; & inde reliqua
peccata tua collige, deplange &
Eſai. 38. emenda; recogitãdo coram Deo
omnes annos tuos in amaritudine
animæ tuæ, donec in te deſcẽ-
Roma.8. dere dignetur ſpiritus adoptionis
filiorũ, teſtimoniũ perhibens
ſpiritui tuo, quòd filius ſis Dei:
audiasq́; mellifluam eius vocem,
quòd verè Deus pater in te cõplacet
ſibi. Vanũ eſt enim tibi aliquã
conſolationẽ quęrere, ſiue ad cõ-
Pſal.126. templationem ſurgere, niſi prius
manducaueris hũc panem doloris,
& in te ſpiritus adoptionis filiorũ
delapſus ſit, ſpẽ tibi prębens
dimiſſum eſſe peccatum tuum.

MOR-

MORTIFICANDI RECTIficandique hominis ſenſus quinque quomodo ſint.

EXERCITIVM IIII.

QVARTO te exercebis in crucifigendis & mortificandis quinq; ſenſibus tuis, qui valde debilitati ſunt per lapſum primi parẽtis, & deinde per tua propria peccata, & multas inordinatas affectiones. Vt autem reduci poſſint ad ſimplicitatem & puritatem, neceſſe eſt, vt ſenſus tuos, ſcilicet, viſum, auditum, guſtum loquelam, odoratum, tactum, reformare & crucifigere diſcas iuxta exemplum ſanctiſſ. ac crucifixæ humanitatis Ieſu Chriſti: ſtudeasq; continuè in teipſum intro reſpicere, ſicut hactenus foras reſpexiſti: tradasq; te in diſciplinam dulcis Ieſu, eligens illum in magiſtrum, & te totum illi ad obediendum in omnibus cogens & reſignans, ita vt tuum velle & nolle perfectè à te abiicias, & domino

Quinq; ſenſus vti reformandi ſint.

Introuerſio.

mino Deo chariſſimo magiſtro tuo in omnibus placere & ſtrictè obedire ſatagas. Inde nihil amplius operis ages, de quo dubitetur, vtrum bonũ ſit, nec ne, abſq; ipſius interiori permiſſu. Quin ad quodlibet verbũ, quod loqui voles, ad quanque buccellam quàm ſumpturus es tempore aut loco non congruo: & ad quemcunque oculi aſpectum, & ad cuiuſuis membri motionem minus decentem, licentiam corde, quantum Deus dederit, petere conſuefacias: Quam ſi intus teſte conſcientia ſeipſam non quærente, obtinueris; tum demum licebit id tuto agere vel dicere, & abſque peccati periculo erit. Neceſſaria quoque & debita opera tua, licet de ſe nota ſint Deo placere, ſingula tamen noua intentione ad laudem Dei perages & offeres, in vnione ſanctiſſimorũ operum & meritorum Ieſu Chriſti. Inter dicẽdum autẽ vel agendum

dum aliquid foris, continuè vno oculo reſpicias intus teipſum, aduertaſque quando tacendum aut ceſſandum fuerit, vt tunc ſtatim taceas & ceſſes. Quapropter aſſueſcas frequẽter Deum medullitus & feruenter obſecrare per ſeipſum, & per omnes perfectiones & miſerationes, quæ in ipſo ſunt, imò quæ ipſe eſt, & per ſanctam humanitatem ſuam, & per ſanctos quinque ſenſus ſuos, qui tam fortiter obediebant rationi, & ab anima ſua abſorpti, & diriſſimis pœnis pro ſalute noſtra afflicti erant, quaſi ſenſus non habuiſſet, vt ſenſualitatem tuam, quàm habuiſti, habes, & habere poteris, ita abſorbere dignetur in meritis ſanctiſſimorum ſenſuum ſuorum, ita ſenſus tuos reformare, vnire & ſanctificare in ſanctiſſima anima ſua, quaſi ſenſus non haberes, qui ſenſualitati inordinatæ locum dare poſſent. Et in hac incluſione & vnione ita Oratio
cruci

cruci affixus maneas in domino Ieſu, vt nunquam inde egrediaris, ambulans reuerenter honeſtis & maturis moribus & geſtibus corporis & ſenſuũ bene compoſitis: & omni diligentia dominum Deum tuum, & quinq; ſen-
Cuſtodia tui. ſus tuos, cũ tota anima tua cuſtodias: ſicq́; agas, vt putes te nihil videre, audire, ſentire, olfacere, guſtare, tangere, edere vel bibere, niſi dominum Deum tuum; & in omnibus purè Deum & nõ teipſum quæras, & creaturis propter Deum & in Deo, cum timore & reuerentia, vtaris. Et curam tuiipſius & omnium rerum in omni etiam neceſſitate & periculo, cum plena fiducia, in ipſius fideliſſimam prouidentiam iactes, qui omnia ſuauiter diſponet, & pugnabit pro
Sapien. 8. te, reputesq́ue omnia creata extra Deum quæſita, penitus eſſe nihil. Et ſic recipies mirabiles illuminationes & influxus à Deo tuo,

tuo, ſi pro illius amore te ipſum & omnia perfectè crucifigere, abnegare & relinquere nón dubitaris. Iſtud exercitium eſt fundamentum ſpiritualis vitæ, quòd oportet valdè diu exercere, quãdoquidem non paruus labor eſt, nec parum naturæ moleſtus, teipſum in omnibus vincere & abnegare, tuaq; voluntate poſtpoſita, Dei voluntatem gratam ac placitam perpetuo obſeruare.

VITA ILLVMINATIVA *quomodo auſpicanda. Vires animæ tres quomodo reformandæ caſtigandæq; ſint.*

EXERCITIVM V.

QVintò exerce te in profunda & omnimoda circuncisione, reformatione & mortificatione virium animæ tuæ, videlicet intellectus, voluntatis, & memoriæ, quæ valde debilitatæ & corruptæ ſunt per lapſum primi *Corruptio virium.*

mi parentis: quas, poſtquam per mortem filij Dei Ieſu Chriſti redempti ſumus, rurſus à Deo abalienauimus per noſtra propria & actualia peccata. Vt autem reformari atque purificari poſſint, & in illum ſcopum dirigi, cuius gratia animæ ab initio donatæ fuere, neceſſe eſt, vt Deum toto corde obſecrare, firmaq; fiducia pulſare non ceſſes, vti per merita ſanctiſſimarum virium benedictæ & crucifixæ humanitatis ſuæ purificare, reformare, regere & illuminare dignetur vires animæ tuæ, vt ſtabili cognitione, amore & cogitatione ſemper fluere poſſis in Deũ, & oĩa alia quę cognoſcẽda & agẽda ſunt, ab ipſo diſcere. Vt autẽ id muneris obtineas, intellectus tuus multo & continuo tibi labore acuendus eſt, ad intelligendum ſublimiter & profunde, quid, qualis, & quantus ſit Dominus Deus creator tuus. Cumque hoc pacto cognoueris

Vires animæ vt ſint reformandæ.

Intellectus.

eſſe

eſſe eum ſummum bonum, æternam potentiam,ſapiētiam & bonitatem, tum accedens voluntas amare conabitur eum, quē optimum intelligentia ſua deprehendit. Sed voluntatem ipſam circūcidere, abſtrahere & crucifigere te oportebit ab omnibus extra Deum poſitis, vt Deū ſolum toto & nudo corde diligas & deſideres, & omnia propter Deum, & in Deo quæras. *Voluntas.*

Deinde voluntatem tuam fortiſſima vnione ſic diuinæ conformabis voluntati, vt domino Deo in omnibus perpetuo obedire paratus ſis. Tertio memoriam tuam ab omni inutili phantaſmate expedies, atque idoneam reddes ad fruēdum in ea domino Deo tuo. Hæc enim inſtar thalami munda ſeruanda eſt ab omnibus importunis imaginibus, & extraneis à pietate cogitationibus, & ornanda ſanctis meditationibus & virtutibus crucifixæ vitæ Chriſti, vt *Memoria.*

Deus in ea ſuauiter valeat quieſcere, quoties & quãdo, & quam diu viſum ipſi erit. Deinde eadẽ ipſa aſſuefacienda eſt amoroſis iiſdemq; perpetuis ferè deſideriis & affectionibus ſanctis erga dominum Deum ſuum, vt ipſe ſolus in ea quieſcere, & ipſa in eo ſolo operari poſſit. Cæterum, in hoc exercitio diutius verſaberis, Deum tuum pro auxilio, vt dixi, frequentius obſecrando. Quòd ſi pro libitu tuo ſtatim non impetraueris, noli tædio vinci, noli ceſſare: tantummodo perſeuera, & domino ſimpliciter cõfide, qui
Iudith.19. nunquam deſerit ſperantes in ſe, qui ſumme bonus eſt: qui & ab his, qui in ſimplicitate cordis quærunt eum, melius inuenitur, quandoquidem ipſe ſimplex & vniformis eſt, & per amorem & ſancta deſideria citius obtinetur, quia Deus ipſe amor infinitus eſt.

MOR-

MORTIFICATIO DVODE-*cim radicum vitiorum omnium, quonam pacto exercenda ſit.*

EXERCITIVM VI.

SExtò exercebis te in plena mortificatione & abnegatione omnium, quæ tibi aliquod impedimentum vel obſtaculum præbere poſſent, quo minus appropinques & amoroſe coniungaris ac vniaris Deo, hoc eſt, omnium quæ Deus non eſt, non vult, neq; amat: quæ ſatis explicãtur per D. Henricum Herp. in x i i. mortificationibus ſuis; in quibus meditando & orando, te diligenter exercebis, attendẽdo circa quaſlibet ſanctiſſimum exemplar crucifixi Ieſu, illudq́; cordi tuo imprimendo, quo ad vſq; vires animæ tuæ liberius fluere poſſint ad Deum, & in Deo fixius inhærere. Harum prima eſt perfecta mortificatio omnis affectus, ſolicitudi- *Amor rerum temporalium.*

 nis

nis & amoris ad res caducas & fragiles, vt eas quieto corde reſignare noueris in Dei beneplacitum, ſiue ea dederit, ſiue abſtulerit: vt non deſideres illa retinere, aut erogare, niſi purè ad Dei honorem: imò & omnia optabis relinquere, vt cor tuum imperturbatum ac nudum, Deo ſemper va-

Paupertatis gradus tres. leas offerre. Hinc non ſolùm ſuperflua quæq; & curioſa, tibi ſunt abiicienda, ſed etiam in his quæ tibi neceſſaria videntur, nullo affectu requieſcere licebit, ſi noles eſſe proprietarius corā Deo: Imò ipſa etiam naturæ neceſſaria, quaſi cum tædio quodam coactus & nauſeans, ſuſcipere conaberis, vt eo melius pauperi Chriſto cōformari, & intra nuda ipſius brachia euolare queas.

II. Secunda eſt mortificatio omnium affectuum propriæ quæſitionis, qua multi ſeipſos nimis amant, & in omnibus bonis quæ agunt, & malis quæ vitant, ex ſer-

Quæſitio ſui vt mortificāda.

uili

uili amore ſuam ſpectant & aucupantur vtilitatem, conſolationem & honorē, tam in externis, quàm internis Dei donis & bonis: ſuū quoque damnum, cōfuſionem & punitionem, quibus vel bene vel malè meriti afficiuntur, importunius euadere quærunt. Sua quoque opera & exercitia reputant magna, caduntq; ex donis Dei in ſuperbiam, auaritiam, & gulam ſpiritualem. Verùm contra hæc grauiſſima pericula ſtudebis filiali amore, intentione recta, Dei in omnibus honorem, gloriam & beneplacitum purè quærere: & intentione ſimplici inſtituere atq; dirigere & referre opera tua ad placendū Deo & fruēdum quieſcendumque in eo cum omnibus viribus tuis. Intentione quoque deiformi ſtudebis quaſlibet mundanas conſolationes contemnere, & omnem derelictionē & aduerſitatem æquo animo ferre, vt ſic Deo vniri, vt perfrui merearis.

Tertia eſt mortificatio omniũ
III. *Amor delectationis ſenſualis.* affectuum propriæ ſenſualitatis, vltra rationabilem neceſſitatem, quæ in delectatione cibi, potus, veſtium, aliarumq́; rerum: in voluptate cogitationum, verborũ, geſtuum, & fabulationum cum hominibus, ex ſenſuali amore: in appetitu habendi curioſa, videndi pulchra, audiendi noua, ſentitur. Hæc & omnia naturæ ſolatia mortificabis per plenam auerſionem ab omnibus, in quibus ſenſualitas ſolet quieſcere, quia deuotionem & ſpiritualia exercitia inſipida reddunt & difficilia: cauebisq́; tota virtute, ne aliquem affectum ad quoduis ſolatiũ carnale vel peccatum licet minimũ, in corde retineas, quem non funditus extirpare coneris. Ita enim expedit, vt ſenſualitas ſimpliciter moriatur, ne tota congeries bonorum operum peſſum eat.

IIII. Quarta eſt mortificatio omnis affectus amoris ſecularis qui, vt homi-

hominibus placeat, & ab illis cõ- *Amor ſecularis ad homines.*
modum vel honorẽ accipiat, ſeu
vt illis non diſpliceat, neque ab
illis cõfuſionem aut damnum ſu-
ſtineat, multa admittit ſeu admit-
tere paratus eſt vitia & peccata.
& pleraq; facit virtutum opera.
Deinde amoris naturalis ad con- I.
ſanguineos: & acquiſiti amoris *Naturalis.*
ad amicos, pro eorum beneficiis:
ita vt ſine perſonarum acceptio-
ne in omnibus hominibus, & e-
tiam in hoſtibus tuis, ſolùm Deũ,
Deiq; imaginem, gratiam, & vir- II. *Acquiſitus.*
tutes purè diligas, & nullius vitia
palpes, ames aut diſſimules: ſed
omnium ſalutem toto corde ſi-
tias. Poſtremò omnem inordina- III.
tum amorem qui tibi inquietu-
dinem, diſtractionem & deſide-
rium ad alicuius hominis præſen
tiam vel amicitiam habẽdam ge-
nerat, & cor tuũ imaginibus de-
pingit; præſertim tempore ora-
tionis, aut quando te ad Deũ con
uertis, tanquam venenum diuini

amoris cor tuum maculans & inficiens, penitus enecabis, ſolum Deum amando, & eius amore omnibus creaturis renunciando, vt diuina imagine depingaris, eiusq́; amore ſurſum traharis, & in eius abyſſo abſorbearis.

V. *Cogitationes ocioſæ.* I. Quinta eſt mortificatio omnis affectus propenſi ad receptionem detenſionemq́; cogitationũ inanium, quæ homini multipliciter incidere ſolent, ex defectu feruoris, inſtar maris fluctuantis, licet affectui non inhæreant: cogitationum quoque noxiarum, quæ

Noxiæ. II. cum oblectatione ſenſuali intro admittuntur; quæ licet ad cõſenſum peccati mortalis non perueniant, cor tamen maculant, Spiritum ſanctũ contriſtant, & ingens animæ damnum inferunt. Porrò tam iſtę, quàm priores cogitationes, ex noſtra oriuntur incuria & immortificatione, quod cor noſtrum non ſtudemus ad ſanctas cogitationes quaſi vi quadã cogere,

gere, ſiue excitare; ſed illud ad ſuperflua & noxia permittimus eua gari, non curantes tempus fructuoſe expendere. Ideoque dum nos introuertere volumus, cor innumeris diſtractionibus inuenimus oneratum, quæ noſtrum profectum diſſipant. Non ſolùm *Diſtrahentes.*
igitur has quas prædiximus, ſed etiam licitas quaſdam cogitationes ſiue de temporali cura licita, ſiue de ſcrupulis conſcientiæ ſiue de ſecretis iudiciorũ Dei & cu- III.
rioſis rerum occultarum perſcrutationibus, abſcindere oportet per impreſſionem imaginis Ieſu *Imago cruci-*
in cruce pendentis, eiuſque pro- *fixi.*
fundiſſimæ humilitatis, paupertatis, manſuetudinis, & omnium virtutum in exteriori homine: & imaginis infinitæ charitatis eius, qua omnia creauit, qua & te redemit, in interiori homine tuo, vt totis cogitationum tuarum viribus venire ſtudeas, imò tranſire in creatoris & redemptoris tui

cognitionem, & ex cognitione in eius amorem. Etenim Dei verus amor operatur mortificationem naturæ, dat vitam ſpiritus, promouet operationem ſuperiorum virium, influxum in Deum, & ſeceſſum ab omni creatura. Vt verò cogitationes quaſlibet vanas & mentis euagationes omni tempore euitare queas, diſce ſumma diligētia præſens tempus tuum in omnibus vtiliter expendere, cogitans inſtare ſingulis horis & momentis finem vitæ iudiciumq; animæ tuæ: atque ita nimiam quamlibet ſolicitudinem & occupationem erga res præteritas & futuras penitus reſcinde.

Amor Dei quàm ſit efficax.

Facies quoque affectuoſam conuerſionem ad omnimodam ſolitudinem, non tantum ſecundum corpus, ſed multò amplius ſecundum cor & affectiones, & ad ſimplicem cordis quietem, quæ maximè nutrit amoroſum in Deum effluxum. Nam animi ſolitudo, men-

Solitudo duplex.

mentis quies, & arcta cordis cuſtodia, ſunt fundamentum proficientis vitæ. Sexta eſt mortificatio omnis curæ quæ non eſt de iuſta neceſſitate, vtilitate, aut obedientia: omnium quoque malarũ paſſionum, immoderatæ lætitiæ, triſtitię, ſpei, timoris, amoris, odij & pudoris, vt nihil extra Deum in corde tuo quieſcat, & omnia externa opera tua & occupationes, quas à te poſtulat neceſſitas, abſq; multiplicitate & ſolicitudine cordis perficias, cùm reſignato & eleuato intellectu & affectu in Deũ. Nã per diſtrahẽtem occupationẽ cordis etiam in licitis, obſcuratur intellectus & tepeſcit affectus; ita vt omne ſpirituale exercitium tibi deſipiat, & inferiores vires orationis tempore colligere vix aut ægrè poſſis. Quapropter ſi vis omnes tentationes faciliter vincere, ſtude omni tempore ferre promptum & eleuatum animum & deſiderium in Deum, ſemper magis

VI. Cura & paſſiones.

Animus eleuatus quanta poſſit.

ac

ac magis amori eius inhærendo. Ad quod tamen nemo peruenire poteſt, niſi affectus eius expeditus ſit ab omni re infrà Deum exiſtẽte, & ſeipſum cõtemnere ſiue humiliare ſciat in omnibus propter amorem Dei. Nam purus & non fucatus affectus tuiq; cõtemptus amorem facit purum; ſpiritũ reddit ſimplicẽ & ab omnibus liberum. Septima eſt mortificatio omnis amaritudinis ſiue peruerſitatis cordis, quę variis ex cauſis oriri ſolet. Primo ex magna & præſumptuoſa æſtimatione propriorum meritorum, qua nonnulli proni fiunt ad temere iudicãdum & aſpernandum cæteros, falſa iuſtitia pleni, quæ indignationem parit, non compaſſionem. Secundo ex immortificatis eorum deſideriis, quæ imflammant eos ad murmurandum contra ſuperiores ſuos, & alios qui eorum vitiis non acquieſcunt, ſed reſiſtunt. Tertiò ex rancore & odio propter aliquas

VII. *Amaritudo cordis.*

I.

II.

III.

aliquas præcedentes offenſiones, propter quas facta illorum, quos odiunt, peruertere cupiunt, & inueſtigare in illis quòd vituperēt. Quartò ex inuidia, qua alienas IIII. virtutes, quibus ipſi carent, extinguere vel obſcurare quærunt, vt illis præferri aut æquari poſſint. Quintò ex mala & exaſperata V. conſcientia, qua inſtar baſiliſci alios lædere cupiunt, & ſecum ad peccata trahere, quibus gratiam Dei inuidēt, & ex malitia qua ipſi pleni ſunt, omnia etiam quę optima ſunt, in peius interpretantur. Has & multas alias peruerſitates *Suauitas Dei.* & cordis amaritudines tam perfectè vinci & conſumi neceſſe eſt in ſuauitate diuini amoris, vt etiā perſecutores & inimicos noſtros tanquam amicos & benefactores noſtros diligamus, vti & reuera ſunt, quandoquidem ad grandia nos merita perducunt. Octaua VIII. eſt mortificatio omniū affectuū *Amor honoris & gloriæ.* vanæ gloriæ, propriæ complacētiæ,

tię,honoris atq; ſuperbię,quę huc te inſtigant, vt de teipſo, de tuis verbis & operib⁹,gratiis & donis Dei plus ęquo glorieris & extol-
1. laris. Quapropter oĩa bona ſoli diuinæ gratię filiali fidelitate adſcribes, reputãs te omnibus illis indignũ, tum propter magnitudinem,turpitudinẽ & multitudinẽ

Vt humilieris.

I. peccatorũ tuorũ prętéritorũ:tum
II. propter defectũ illius gratitudi-
III. nis, quam ſoli Deo debes de curà præſeruationis tui à multis peccatis,quæ incidiſſes, niſi eiuѕ miſeratio te præſeruaſſet: tum etiam quod fortè peccator nõ ſit in mũdo, ſi tantas gratias & occaſiones benefaciendi habuiſſet vt tu, qui nõ fidelius Deo ſeruiuiſſet quã tu. Sicq; Deo,cuius eſt omne bonũ, eris gratus ex vna parte, & teipſum valde humiliabis ex altera.

II. Secundò ſic te in hac mortificatione exercebis, vt non graueris toto corde ab omnibus cõtemni, illudi,conculcari:ſed omnem cõfuſionẽ amore Dei pleno affectu

Vt deſideres contemni.

ſuſcipies; modò tamẽ culpabilem adhoc occaſionẽ proximo tuo nõ dederis. Quia hæc eſt via compẽdioſa ad maxima merita, quã tamen pauciſſimi ingredi volunt.

Nona eſt mortificatio omniũ affectuum oblectationũ internarũ ſpiritualiũ & ſenſualiũ, in gratia, deuotione, dilectione & dulcedi ne ſenſibili, quę quidem non ſunt vera ſanctitatis vel charitatis indicia, ſed fomẽta quędã Dei, & ſuſtẽtacula, nobis vt fortius moriamur; nõ vt in illis quieſcamus, in ſubſidiũ infirmitatis noſtræ data. IX. *Amor conſolationis interna.*

Porro quãtum in iſtis duodecim pũctis profeceris, tantũ habes veri amoris, nec quicquã amplius. Imo oĩa, quę à Deo deſiderare potes, quę referre nõ ſtudes ad verã tui mortificationẽ propter amorẽ Dei, permixta ſunt cum natura, ſeipſam ferè in omnibus quærente; adeò ſubtiliter, vt repulſa ab vna parte, mox occultè reuertatur ad alterã, priuſquã id ipſi nos deprehendere valeamus. Et ideo

pauciſſimi ſeipſos verè agnoſcũt, & perfectè euincunt, quia multi
I I. hac in re negligentiores ſunt. De-
Amor curioſæ inueſtigationis. inde ſecundo loco morieris omni curioſę inueſtigationi, ſpeculationi, cognitioni, & viſioni intellectus, in rebus & ſcientiis curioſis, & phantaſmatibus humanis, in quibus miſerè tempus & laborem ſuũ multi perdunt, ſem-
2. Ti. 3. per diſcentes, & nunquã ad ſcientiam veritatis peruenietes: quum vita perfectè Chriſtiana, non in alta ſcientia, ſed in profunda humilitate, ſancta ſimplicitate, & ardenti amore Dei fundetur, quo accenſi ſemper anhelare debemus ad moriendum nobis, vt Deo perfectè vniri, & adhærere valeamus.

X. Decima eſt mortificatio omnis
Scrupuloſitas. Amor ſui. ſcrupuloſitatis cordis, per plenã confidentiam erga diuinam bonitatem. Hæc ſcrupuloſitas interdum vexat nonnullos propter inordinatum amorem ſui, quò magis

gis timent Dei vindictam, infernum & iuſtitiam, quàm ament eius bonitatem. Et ideo ex ſeruili timore ſua cuncta agunt bona, & vitant mala. Quapropter non emendãt fideliter defectus ſuos, ob quorum aculeos & remorſum anguntur, nec Deo plenè confidere poſſunt. Cùm enim amor eorum ad Deum modicus ſit, paruam generat confidentiam: ſicut ediuerſo amor Dei magnus magnam parit fiduciam. O beata ſpes, ô felix fiducia, quæ omnem de corde pœnitentis ſcrupulum tollis, quæ peccatoris mentem purgas, purgatam illuminas, illuminatam inflammas, inflammatam ſurſum euolare hortaris, dũmodo propter te non tepeſcat, ſed ad maiorem ſui mortificationem & omnium aduerſitatum tolerantiam & gratitudinem tua excitatus & fretus præſentia confortetur.

Confidentia ſancta.

XI.

Vndecima eſt mortificatio omnis

Impatientia.

nis impatientiæ cordis, in omni externa aduerſitate, infamia, deriſione, contumelia, damno rerũ, infirmitate & pœna corporis, perſecutione & derelictione mẽtis, quæ tibi permiſſione diuina accidere poſſint, quibus Deus chariores ſuos amicos probare ſolet: idq́ue ex maxima charitate, pro ipſorũ æterna ſalute. In quibus & ipſe dominus Ieſus multipliciter probatus eſt, qui manſueto corde omnem ſuſtinuit contumeliam, irriſionẽ, verbera, ſputa, flagella & crucis tormẽta: quin & pro inimicis ſuis orauit, nec poterant tanta illi tormẽta inferre, quin multo plura deſideraret pati ob patris honorem & animarum ſalutem. Igitur hæc omnia tibi quoque toleranda ſunt: in primis, ne corde, verbo, aut opere vllum præ te feras rancorem ſiue vindictam. Secũdò, ne amaritudinem ſiue triſtitiam, quæ ex proprio oritur amore, in corde geras:

Luc. 23.

I. *Patiẽtia oris.*

II. *Cordis.*

geras: ſed grauioribus te malis dignum arbitrans, omnia humiliter ſufferas, teq́; ad omnem futuram aduerſitatem volũtariè offeras. Et tertiò, vt per patientiam, qua conformeris dominicæ paſſioni, omnia aduerſa cum magno deſiderio expectes & ſuſcipias, plura ſemper tolerare paratus. Hinc magnam obtinebis diuini amoris abundantiã, cunctas animæ tuæ vires penetrantem adeo, vt licet dolorem vix ſentias, perſecutores tuos, velut amicos & benefactores tuos, amore proſequi debeas. III. *Affectiones.*

Duodecima eſt perfecta mortificatio omnis propriæ voluntatis, cum plena tui reſignatione ad omnem internam derelictionem & preſſuram ſuſtinendam, pro amore Dei. Quia igitur nihil homo precioſius vel magis propriũ habet libero arbitrio, ex cuius abuſu mox omnia pullulant vitia, ideò ſi illud Deo reſignauerit, *Voluntas propria.*

protinus ſubuerſo hoc fundamē-
to, corruēt omnia vitiorum germina. Porrò vtile & ſecurum eſt quemq;, qui vtiliter & bene proficere velit, viuere ſub obedientia, ac ſeſe tradere alterius voluntati, vt ſic clarius beneplacitam Dei voluntatem in omnibus cognoſcere, obſeruare & exequi poſſit.

I. *Obedientia voti.*

Obedientia igitur voti, debet eſſe foris in operibus: & obedientia conformitatis, intus in prompta voluntate conformandi ſe voluntati ſuperioris ſui: idque pure pro amore Dei, abſque vllo reſpectu gratię humanæ, ita vt inde exoptet potius abiici & contemni, quàm laudari aut muneris quippiam capere.

II. *Conformitatis.*

III. *Vnionis.*

Tertia autē obedientia, quæ dicitur vnionis cum Deo, tam perfectè vnit voluntatem noſtram diuinæ voluntati, vt vna iam videatur̄ vtriuſq; voluntas effecta: ita vt quicquid Deus circa nos fieri permittit, etiam in omni interna preſſura & deſolatio-

tione, totum ex conſtitutione immenſi amoris & miſericordiæ Dei prouenire fateamur, & ſummo gratitudinis ſuſcipiamus affectu, quantumuis etiam arduũ, ignominioſum aut moleſtum ſit, iuxta exemplar Ieſu Chriſti ducis noſtri, qui ab agonia in horto vſque ad mortem crucis, omni affluentia ſenſibilis gratię, vndique deſtitutus erat, ſtans in maximis pœnis, & nudo eſſentiali amore perfectè reſignatus. *Matth. 26.*

His duodecim mortificationibus adeptis, iam ſponte abſq; magno labore vires animæ noſtræ fluere poterunt & quieſcere in Deo ſua origine. Verùm vt clariùs dinoſcas, qualiter verũ amorem & vnionem inter Deum & animæ tuę vires poſſidere queas, atque in vita contemplatiua ſpirituali progredi poſſis, per ignitas aſpirationes, & dona Spirituſſancti, aliaq́; pia exercitia, diu multumq́; in omni genere mortifica- *Vnio virium cum Deo.*

tionis verſatus, atque probatus, obſerua diligenter quæ in ſubiectis breuiter explicata offendes.

Exercitivm crvciforme ad quinque vulnera Domini Ieſu.

De vero odio omnium peccatorum, & acquiſitione omnium virtutum.

EXERCITIVM VII.

Peccata quãto ſint odio habenda.

SEptimò exerceas te in vero conſtantiq; odio omniũ peccatorum, ita vt nunquam illa admittere velis, quantumuis etiam minuta fuerint, pro quocunque damno, vel ſcandalo, ſiue tormento euadendo. Omne nanque vitium odiſſe oportet, antequã verè ſuccedat virtus, & antequam in cor Ieſu ad vnionem ſpiritus intrare permittaris. Nihil ergo ita odies, ſicut peccatum etiam exiguum, quia diuidit inter Deum & animam tuam, hoc eſt, parietẽ quen-

quendam ponit, qui aufert & occultat gratiam & præſentiam eius à te.

Secundò exercebis te in aſſidua perquiſitione & amore omnium virtutum, quamlibet variæ ac multiplices fuerint. Imo ſi ſcires ſingulas guttas maris eſſe virtutes, laborandum tibi foret pro iis omnibus obtinẽdis, pro ſummo Dei honore. Quare vt animã & corpus tuum Chriſto crucifixo ſemper & vbiq; (quantum tibi poſſibile fuerit) conformare poſſis, virtutibus exornes & crucifigas ea oportet, iuxta exemplar Chriſti Ieſu, qui ſemper crucifixus vixit, & crucifixus ex hoc ſeculo migrare voluit, idq; ex ſuo infinito ad nos amore, qui ſemper in eo recens fuit, inſtar amoris noui ſponſi. Idcirco noſter amor ſemper recens eſſe debet erga ipſum, inſtar noui amoris, quẽ gerit fidelis ſponſa erga amantiſſimum ſponſum. Et ex iſto amore

Virtutibus Chriſti acquirendis quantũ ſtudium impendendũ ſit.

Amor noſter erga Deum qualis eſſe debeat.

ſugere & in nos attrahere debemus ex illius anima & corpore, has quinq; nobiliſſimas virtutes cum filiabus ſiue comitibus ſuis, easque ita fortiter imprimere in animam & corpus noſtrum, vt inſtar ſtellarum ſemper reluceant ex nobis.

I. *Humilitas veri acquirenda.* Primam virtutẽ, videlicet veram humilitatem, portabis quaſi in pedibus tuis, rogabisq; dominum Ieſum per vulnera ſanctiſſimorum pedum ſuorum, & per maximam humilitatẽ ſuam quã ſemper exhibuit, vt tibi concedat in omnibus tam humilem exiſtere, quàm eius gratiſſima voluntas à te exigit humilitatis ſuæ imitationem. Hanc autem humilitatis virtutem tum demum adeptum te putabis, quum ingemiſcis, plãgis & contriſtaris, quoties tibi beneficiũ aliquod aut honor exhibetur, quo te nimirum indignum recognoſces: & quum perfectum in te deſiderium omnis con-

contemptus perſeuerat, inter omnia ſcandala, iniurias, contumelias, pœnas & dolores, quæ tibi irrogantur, quibus te digniſſimũ iudicabis.

Humilitas deinde parit tres filias, videlicet Obedientiam, Patientiam, Cuſtodiam linguæ. Verus humilis, nõ ſolum obedit ſuo ſuperiori, promiſſis ſeu votis ſuis ſatisfaciens, ſed etiam omni humanæ creaturæ propter Deũ. Verus humilis, portat & ſuffert omnia pro honore & amore Dei, quantũuis aſpera ſint, quæ Deus ipſi euenire permittit, in patiẽtia ſua poſſidens animam ſuam. Etenim attendit, quàm patienter dominus Ieſus omnes ſuas cruces, hoc eſt, anguſtias & aduerſitates pertulerit pro noſtra ſalute. Humilis etiam non multa loquitur, quamuis ſit ſapiens & eruditus, niſi vbi fructum ſperat animarũ, tum ſermonem profert bonum ad ædificationem fidei, vt det gra-

Obedientia.

Patientia.

Cuſtodia linguæ.

tiam audientibus. Itaque verus humilis parũ loquitur, obediens & patiens eſt, atque diligẽter cuſtodit linguam ſuam.

II. *Sapientia vera quomodo obtineatur.* Secunda principalis virtus eſt vera ſapientia, in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus tuis exercenda: quæ ſi perfectè ac rationabiliter te gubernauerit, nihil licebit tibi cogitare, loqui, neq; agere, niſi ex vera ratione & permiſſu Dei. Hanc ſapientię virtutem portabis in capite tuo, imprimesq; caput tuum in transfixum caput Ieſu Chriſti, obſecrando eum per dolorem ſanctiſſimi capitis ſui, vt te ſua diuina ſapientia exornare velit, quantum ipſi viſum erit & ſciuerit tibi neceſſarium fore, pro ſuo ſummo honore; tuaque & proximi tui ſalute. Porro ſapientia hæc maximè neceſſaria eſt ad omnem ſpiritualẽ vitam, bono ordine ac diſcreta ratione inſtituendam & conſummandam. *Timor domini.* Sapientia generat tres filias,

filias, videlicet Timorem domini, Diſcretionem, & Simplicitatem. Sapiens Deum quem timet nunquam offendit: qui autem nō timet, & peccat, ſapiens non eſt. Nam vbicunque vera habitat ſapientia, ibi etiam timor domini habitare inuenitur. Et hoc timore filiali non ſeruili oportet nos ſemper ornatos eſſe & munitos. Sapiens quoque diſcretus eſt, & medium virtutis, modumque & menſurā in omnibus ſeruare con tendit, proſpiciēs ne quid nimis, minusq; iuſto agendo Deum offendat. Vera denique ſapientia ſuadet homini ſimplicia quæque & vniformia amplecti, omnem duplicitatem & multiplicitatē & curioſitatem vitare, & vni ſummo bono inhærere, & omnia bona & mala immediate à Deo, & non à creaturis recipere, & rurſus in Deum referre, diligenterq; in omnibus voluntatem & ordinationem Dei obſeruare, Deoq;

Diſcretio.

Simplicitas.

&

& omnibus hominibus propter Deum obedire, ſimpliciter & perfectè omnia in Deo reſignato animo facere, cum ſuauitate & non cum mœrore.

III. *Charitas vt acquirenda.* Tertia principalis virtus eſt vera Charitas Dei. Hanc virtutem portabis in corde tuo: attendensq; transfixum cor Ieſu Chriſti, cor tuum in illud imprimes, obſecrabisque eundem per amorem ſuum, & per humanum transfixum cor ſuum, vt per eadem largiri tibi dignetur perfectum ſui amorem.

Perſeuerãtia. Fides. Spes. Charitas Dei parit has tres filias, Confidentiam, Spem, & in omnibus virtutibus Perſeuerantiam. Et hinc omnis noſtra exoritur defectio, quare non perſeueremus, quod charitas noſtra ſatis magna non eſt, quæ perſeuerantiam, tum promouere, tum facilẽ reddere poſſit. Nam qui ex vera charitate rem quampiam aggreditur, quantũuis arduam & difficilem, nõ ceſſabit, donec eam abſolue-

ſoluerit vel obtinuerit: quia & ipſa charitas dat perſeuerandi cõfidentiam, qua mira operari poſſumus, & ſpe præmiorum, moleſtias laborum extenuat.

Quarta virtus principalis, eſt Iuſtitia, quã portabis in manu tua dextera: attendesq; dexteram Ieſu Chriſti, quomodo clauis affixa fuit cruci: obſecrans ipſum feruenter per acerbiſſimam pœnã, quam ſuſtinuit in vulnere manus ſuæ dextræ, & per amorem qui ipſum hanc ſuſtinere coegit, vt tibi dare dignetur veram iuſtitiam in omnibus operibus tuis: vt reddas Deo, quæ illi debentur, videlicet omnẽ honorẽ & gloriam & gratiarum actionem, in omnibus cogitationibus, verbis & operibus tuis: ſimiliter tuo ſuperiori, & æquali, & inferiori, quæ illis debentur: & corpori tuo in cibo, potu, veſtibus & aliis neceſſariis, non plus nec minus, quam tenearis. Iuſtitia parit tres filias, Miſericor- IIII. *Iuſtitia quid, & quomodo obtineatur.*

ricor-

ricordiam, Veritatem, & Gratitudinem. Iuſtitia eſt talis virtus, quæ dat vnicuique quod illi debetur, & inprimis qui iuſtus eſt, miſeretur animæ ſuæ poſt proximi. Deinde etiam corporalem exhibet eleemoſynam quādo neceſſe fuerit. Iuſtitia etiam veritatem parit, quę in omnibus Deum quærit. Quia non poteſt non eſſe verax qui iuſtus eſt. Parit etiā gratitudinem. Nec enim fieri poteſt, quin iuſtus gratias agat Deo, & omnibus qui ipſi viam monſtrarunt ad Deum, & cooperati ſunt pro ſalute animæ ſuæ.

Miſericordia.

Veritas.

V. Quinta virtus eſt, vera animi fortitudo in omnibus virtutibus adimplendis, & in omnibus vitiis eradicandis neceſſaria. Vera diuinaq; fortitudo facilè cunctà cōtemnit: & vincit diabolum, mundum & propriam carnem, confidenter procedens & operans omnia, propter Deum, quam Paulus ſentiebat, cùm diceret: Omnia poſ-

Fortitudo vera quæ.

poſſum in eo qui me confortat. Hanc veræ fortitudinis virtutem portabis in ſiniſtra manu tua: attendensq; ſiniſtram manum Ieſu Chriſti, ipſum obſecrabis per dolorem huius vulneris ſui, & per mirabilem fortitudinem, quam in omnibus aduerſitatibus ſuis exhibuit, vt veram tibi fortitudidinem infundere dignetur, quanta tibi neceſſaria eſt pro eius ſummo honore & tua ſalute.

Fortitudo has tres generat filias, videlicet Caſtitatem, Sobrietatem, Paupertatem. Homo fortis nuſquam hæret neque moratur, nec delectationibus carnis vincitur, ſed fortiter trãſibit vniuerſa, quæ in mundo ſunt, voluptatum oblectamẽta, reputans ea vt ſtercora. Homo fortis facilè in omnibus cõtentus eſt, etiam fruſto panis, veſtitu ſimplici, & vili ſupellectili; & nullam ſciens admittit ſuperfluitatem. Homo fortis libenter amplectitur voluntariam

riam paupertatem: quia nullam omnino rem mundi cum affectu vult poſſidere, ſtudetq́; cordialiter Deo omni tempore adhærere: ſciens & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Et has, quas prædiximus, virtutes omnes domini noſtri Ieſu Chriſti, per totam vitam tuam ab ipſo poſtulare, & tuo corpori & animæ imprimere debes: conformando te in his virtutibus Domino Deo tuo pro te crucifixo, quantum tibi poſſibile fuerit: ſemper & vbique imaginem crucifixæ vitæ & mortis ſuæ, in ipſis quas prædiximus, virtutibus, aut ſaltem in quinque illarum præcipuis, contemplando & imitando, teq́; in eius cruce extendendo & configendo: ita vt quocunque te vertas, ad dextram ſiue ad ſiniſtram, ſemper vnam ex virtutibus Ieſu, in ea, quam tunc attendis, parte corporis tui, videas collocatam, & tibi imitandam. Gratiſſimum

ſimum enim eſt ſacrificium Ieſu ſaluatori noſtro pro nobis crucifixo, quando propter ipſum carnē cum vitiis & concupiſcentiis noſtris crucifigere diſcimus, & ſic mori cum ipſo non recuſamus. Porro quamuis noſtræ viliſſimæ carnis crucifixio & mors nihil penitus ſit comparatione crucis & mortis Ieſu Chriſti Dei noſtri, dignatur tamen mitiſſimus dominus ex infinita pietate ſua, gratas habere modicas cruces, quas amore ſui ſponte tollimus, aut ipſius permiſſione, per internas derelictiones & tentationes, aut per externas iniurias, preſſuras & dolores nobis impoſitas portamus. Nam æquè gratum illi eſt, vndecunq; ſuper nos cruces ceciderint, modo propter ipſum noſtræ propriæ voluntati ſiue cupiditati moriamur.

Iſtud verò ſeptimum exercitiū, vna cum XIIII. exercitio ſequēti, poſtquam ſemel diligētér peregeris,

egeris, & bene imbiberis, deinceps vſque ad finem vitæ tuæ non deſeres. Quinimo in animo tuo omni loco & tempore circumferes: & ſemel in die deuotè exercebis: & tempore tentationis aut ariditatis, pro ſcuto & excitamento feruoris arripere non negliges: vt ſic Chriſtum induere, in ipſum transformari, & per eius humanitatem in diuinitatem intrare merearis: vt tu de cætero maneas in Deo, & Deus in te. Inſpice igitur & fac omnia ſecundum exemplar, quod tibi in monte Caluariæ monſtratum eſt, à monte montium, ſanĉto ſanĉtorum, ſummo ſacerdote Chriſto IESV, imprimendo perfeĉtiſſimas virtutes eius exteriori homini, & infinitam charitatem eius tuo homini interiori.

Exod. 21.

EXERCITIVM VII. IAM *dictum, in orationis formulam practicè redactum, mente tamen exercendum, pro virtutibus Ieſu impetrandis.*

AD PEDES IESV.

O Dulciſſime domine IESV Chriſte, obſecro te per vulnera & dolorem ſanctiſſimorum pedum tuorum, & per amorem qui te hunc pro nobis ſuſtinere coëgit, & per profundiſſimã humilitatem tuam, quam ſemper exhibuiſti, da mihi intimam cordis mei in conſpectu tuo humilitatem, qua tuæ infinitę maieſtatis dignitatem, & humiliationem, & è regione extremæ vilitatis meæ abyſſum, clarè cognoſcens, omni tempore, corde & animo, & etiã quoties expedit, opere, me profundiſſimè humiliem, odiam, & ab omnibus hominibus velut turpiſſimum lutum, contemni, & conculcari ægrè nõ feram: & ali- *Humilitas.*

quid beneficij aut honoris à crea turis recipere erubeſcam & refugiam: Humillima quoque verba proferam, & meam multiplicem culpam libenter abſque vlla excuſatione agnoſcam.

Obedientia. Da etiam mihi imitari tuam ſimplicem obedientiam, per flexibilem promptę voluntatis meæ ſubiectionem, ita vt nunquam fatiger in abnegando meam propriam voluntatem, in ſubdendo carnem ſpiritui, & in obſeruando & adimplendo humiliter tuum beneplacitum intus, & in obediendo non ſolùm ſuperioribus meis, ſed etiam omnibus hominibus, quantum licuerit: ita vt nihil vnquam cum proprietate & elatione faciam, ſed aſſidua quadam mentis ſubmiſſione, nihil de me & creaturis omnibus deſiderem, niſi tuam ſanctiſſimam noſſe & exequi voluntatem, dicendo

Act.9. ſemper in deſiderio animæ: Domine quid me vis facere? omni

mea

mea voluntate in tuam voluntatem transfuſa penitus, & reſignata. Da quoque mihi imitari tuam ſtupendam patiẽtiam & manſuetudinem, qua omnem paupertatem, contumeliam, pœnam & dolorem, de manu paternæ prouidentiæ tuæ, æquali & grato animo ſuſcipiam, & maioribus malis me digniſſimum agnoſcens, grauiora ſemper pati non refugiam, & adeò longanimiter, ex deſiderio conformitatis crucifixæ vitæ & mortis tuæ, ea omnia ſufferam, vt nihil in me ſentiam, niſi quòd ſentiendum eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro, *Patientia.* *Philip. 2.*

Da mihi tui exemplo humilem taciturnitatem, qua intus tua verba diligenter auſcultans, foris ab omni otioſo, mendaci, & noxio verbo loquendo vel audiendo, ſtrictè abſtineam: & ſola neceſſaria & vtilia paucis & humiliter dicam, magisq; curem bono exemplo docere, quàm verbo. *Cuſtodia linguæ.*

AD CAPVT IESV.

O Dulciſſime Domine IESV Chriſte, obſecro te per acerbiſſimum dolorem vulnerati capitis tui, & infinitum amorē qui hunc te ſubire coëgit, imprime caput meum in ſpinis compunctum caput tuum: & exorna me tua diuina ſapiētia, quantum mihi expedit pro tua gloria, & mea

Sapientia. ſalute: (Nam hæc virtus mihi ad ſpiritualem vitam maximè neceſſaria eſt) & per eandem me foris & intus ita gubernare digneris, vt nihil vnquam cogitem, dicam, aut agam contra ſanctiſſimam voluntatem tuam. Intellectū quoque meum per eandem clara tuæ bonitatis & voluntatis, cognitione illuſtra. Et affectum meū tuæ dilectionis & dulcedinis guſtu, inſatiabili quoq; te honorandi & me contemnendi deſiderio inebria, & terrena omnia quę ad cōſeruationem corporis & ſpiritus neceſſaria non ſunt, mihi in amaritudi-

ritudinem conuerte, meq́; quaſi ſurdum, cæcum, & mutum ad omnia, quæ tu non es, effice, tanquam mox ex hoc ſæculo migraturum.

Da mihi filialem tui timorem, perpetuumq́; odium omnis peccati etiam minimi, ſtrictamq́ue mei interioris & exterioris hominis cuſtodiã: vt ſemper vno oculo introuerſo, verba & opera mea præcogitem, & ante ſingula tuum diuinum auxilium deuotus inuocem: & mox vbi aliquid rationi contrarium deprehendero, ſtatim ceſſem, ne gratiam tuam amittam, aut oculos tuæ pietatis offendam. *Timor domini.*

Da mihi claram ſpirituum diſcretionem, qua omnes laqueos diaboli, proprias quoque naturæ quæſitiones, errores & exceſſus limpidè cognoſcere & vitare, & vniuerſa quæ mihi incumbunt, prudenter aduertere, rectè diſcernere, & debito modo, ordine, tẽ- *Diſcretio.*

pore exequi valeam: & inter plus & minus, medium virtutis attingam.

Simplicitas. Da mihi ſanctam paruulorum ſimplicitatem, qua ab omni duplicitate & multiplicitate, curioſa quoq; perſcrutatione in intellectu, proprio amore & quęſitione: in voluntate ac cogitationibus, curis & imaginibus in memoria denudatus, clauſiſq́; & introuerſis ſenſibus & viribus meis, ſedulus meiiṗſius inhabitator effectus ſimplici cogitatione & deſirio, vni tibi ſimplici Deo adhæream, reuerenterq́; in præſentia tua ſemper ambulem & viuam.

AD COR IESV.

Charitas. O Dulciſſime domine IESV Chriſte, obſecro te per ardentiſſimum amorē tuum, & per humanum transfixum cor tuū, & preſſuras eius, imprime cor meū in transfixum cor tuum, & reple

illud

illud perfectiſſima charitate, quæ omnem priuatum amorem erga meipſum & creaturas,in me funditus occidat, & ſagitta tui igniti amoris adeo vulneret & accēdat, vt te dulciſſimum dominū Deū meum ex toto corde, ex tota anima,ex tota mente,& ex omnibus viribus meis, purè propter bonitatem tuam , abſque vlla propria quæſitione perfectiſſimè diligere valeam. Dona etiam quæſo mihi peccatori, vt flammigeris deſideriis & orationibus, pro perfecta mei abnegatione & amoroſa tecum vnione obtinendis,ad te indeſinenter ſuſpirem , clamem, & pulſem : teq; ſemper cogitem, te loquar,te eſuriā & ſitiam, te quę-ram & inueniam, donec totus in te transformatus,vnus tecum ſpiritus fiam,in te perpetuo manēs, & tu in me. Da mihi quoque eadem charitate diligere omnē hominem in te, & propter te, ſicut meipſum. Da mihi confidentiā

Matth.22. Marc.12. Luc.10.

Fides. piam non temerariam: atque in-
Intentio. tentionē rectam fidei lumine il-
luſtratam, quę in cunctis agendis
ſiue tolerandis, ſimplicem puræ
mentis oculum, ad tuam gloriam
& beneplacitum dirigat, & om-
nem quæſitionem naturæ ad ſei-
pſam reflexæ, protinus reſcindat
Spes. reiiciatq́;. Da mihi firmam ad
te ſpe futuram felicitatem ſecu-
rè expectare, qua anima mea ſu-
pra omnem labentium rerũ viciſ-
ſitudinem in te leuata, vniuerſos
motus ſuos abſq; ſolicitudine &
imaginum attractione, adeò purè
in te manens exequatur, vt amo-
roſum in te influxum nunquam
amittat, ſed etiam inter aduerſa
& pericula quæcunque, plena fi-
ducia, tuam prouidentiam lon-
ganimiter expectet: atque oratio-
nes ſuas propter infinitam boni-
tatem tuam exaudiendas humi-
liter ſperet abſque hæſitatione vl-
la, habitans ſemper in adiutorio
Perſeuerãtia. & protectione tua. Da mihi ſta-
bilita-

bilitatem & perſeuerantiam, ex forti amore procedentē, qua con tinuo proficiēdi ſtudio, iuxta ſanctiſſimæ vitæ túæ ſpeculum, quæ retro ſunt oblitus, me in anteriora extendā, frequenter vitā meam diſcutiam, & ſæpius diſtractus, nouo feruore ad te reuertar, & per aquam & ignē tranſiens, vſq; in finem in amore tuo perſeuerē. *Philip.3.*

AD DEXTERAM.

O Dulciſſime Domine IESV Chriſte, obſecro te per acerbiſſimum dolorem, quem ſuſtinuiſti in vulnere manus tuæ dextræ & per infinitum amorem, qui hunc te ſuſtinere coëgit pro noſtri redemptione, da mihi perfectam iuſtitiam, qua tibi Deo meo omnem attribuam honorem, gloriam & gratiarum actionem, atque obedientiam, in omni cogitatione, verbo, & opere meo, & meis ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus, animæ *Iuſtitia.*

quoque & corpori meo reddam, quæ illis debentur. Omnia verò debita, quæ iuxta ſtatum meum mihi ſoluenda incumbunt, tempore congruo ſumma cum deuotione perſoluam: & prohibita fugiam, atque pro omnibus peccatis & negligentiis meis, pœnitentiæ & amoris lachrymis quotidie meipſum mactans, in hoc ſeculo per meritum paſſionis tuę expurger, ſicque dignè ambulem vocatione qua vocatus ſum in

Epheſ. 4. iuſtitia & ſanctitate veritatis vſque in finem.

Miſericordia. Da mihi quoque imitari propenſiſſimam miſericordiam, com paſſionem, benignitatem, & liberalitatem tuam erga omnes ho mines, etiam meos aduerſarios, vt nemini vnquã iraſcar ſiue ſuccenſeam, neminem odiam, iudicem, contemnam, contriſtem neque lædam, ſed omnes ſine perſonarum acceptione, materno affectu in te diligam & honorem,

omni-

omnibuſque, præſertim afflictis, tentatis & inimicis, fideliter ſeruiam, benefaciam, & oratione & ſubſidio quocunque pro viribus ſuccurram, animarum ſalutē ante omnia ſitiam & quæram, atque pro earum malis intimè doleam, & orem, & pro bonis gratias agā, ſicut pro meipſo fieri optarem.

Da mihi imitari tuam veritatem, & ſtrenuum Zelum, contra mea & aliorum vitia, qui pro tui honore & animarum ſalute, me totum conſumat, & vitam meam & opera, cum corde & verbis aptè conſentire faciat, & ſanctiſſimæ vitæ tuæ virtutibus vbique conformet. *Veritas.* *Zelus.*

Da mihi intimam gratitudinē, qua omnia beneficia abs te & à creaturis mihi impenſa, humiliter recognoſcam, dignè ponderē, & ſumma deuotione te laudando, tibique gratias agendo, tuæ bonitati (ex qua manarunt) purè abſque vlla ſubtractione adſcribe- *Gratitudo.*

ſcribere illa & accepta referre ſtudeam.

AD SINISTRAM.

Fortitudo. O Dulciſſime domine IESV Chriſte, obſecro te per dolorem, quem ſuſtinuiſti in ſiniſtra manu tua; & per mirabilem fortitudinem tuam, oſtenſam in omnibus, quas pertuliſti, aduerſitatibus, & laboribus, infunde mihi tantam fortitudinem, quanta mihi neceſſaria eſt, pro tua gloria & mea ſalute, qua dominari valeam animo meo, viribus quoque & ſenſibus meis, ita vt dæmones, mundum & carnẽ propriam con culcans, confidenter pertranſeam & contemnam vniuerſa, tãquam ad me non pertinẽtia, propter te, qui es fortitudo & illuminatio mea vera, & nuſquam hæreã neq; ceſſem, donec obtinuero quod deſidero, videlicet, vt vnus tecũ ſpiritus fiam, & maneam.

Da

Da mihi tuam amabilem imitari caſtitatem corporis & puritatem cordis, qua omnem immunditiam vehementer deteſtans, vniuerſos ſenſus meos ab omni peccato & eius occaſionibus, & ab omni impuritate & adhæſione creaturarum illicita, indeſinenter cuſtodiam, & ab immundis cogitationibus forti ad te cordis conuerſione, quoties inciderint, integra voluntate ſemper recurram, atque ſic nudo intellectu & affectu tibi ſemper adhæream. *Caſtitas.*

Da mihi etiam imitari tuã ſanctiſſimam ſobrietatẽ, qua omnes vires & affectus animæ, & ſenſus corporis mei, ab omni inordinata delectatione & ſuperfluitate reſtringã & mortificẽ: & ſola neceſſaria, abſq; carnis deſideriis, cum magno tui timore, & affectus auerſione moderate vſurpẽ, ſupremis animę viribus in amoroſa tui vnione fortiter permanẽtibus, & *Sobrietas.*

ad te

ad te ſuſpirantibus.

Paupertas. Da mihi imitari quoque tuam voluntariam paupertatem, quæ facili compendio hominem in Deum ducit; & da mihi per illam ab omni amore, adhæſione & delectatione ſenſuali & carnali in donis tuis ſpiritalibus intrinſecus, & ab omni affectu rerum temporalium extrinſecus, adeò nudum & abſolutum & pauperem ſpiritu fieri & manere, vt etiam rebus neceſſariis vtar, quaſi cum dolore & faſtidio; & nihil vnquam poſſidere deſiderem, ſed nudus intra nuda brachia tua crucifixus requieſcam, nihil in me reſeruans, niſi intentionem & voluntatem tibi placendi & te amandi ſemper, quo id potero modo perfectiſſimo.

IDEM, SED BREVIVS atque comprehenſius.

AD VVLNERA PEDVM IESV.

GRATIAS tibi ago humilliſsime Ieſu, pro incomprehenſibili amore & dolore vulnerum ſanctiſſimorum pedum tuorum, ſimulq́; in ea proiicio meipſum totum, & omnia peccata & delicta totius anteactę vitæ meæ, pręſertim omnem meam

Superbiam, vanam gloriam, & arrogantiam. 1

Voluntatem propriam, inobedientiam, irreuerentiam erga te tuosq; vicarios. 2

Impatientiam, iracundiam & rancorem. 3

Loquacitatem, detractionem, vitiaq́; his ſimilia, vt aboleantur & expientur precioſo ſanguine tuo, obſecrans te per ineffabilem humilitatem, obedientiam, pa- 4

tientiam, & taciturnitatem tuã, vt has eaſdem virtutes, & omnes earum ſpecies, mihi largiri digneris: quo per gratiã tuã, in cunctis deinceps verbis, cogitationibus, & operibus meis ſim vere

1 Humilis, omnibus hominibus me ſubiiciendo:

2 Obediens, ſub te & omni homine propriam volũtatem meam abnegando:

3 Patiens, omnia aduerſa de manu tua auide recipiendo:

4 Taciturnus, ſolis tuis verbis in ſilentio intus auſcultando:

Atque in omni vita maxime terribili mortis hora, ſit mihi certum in his ſacris vulneribus refugium.

AD CAPVT.

GRATIAS tibi ago ſapientiſſime Ieſu, pro amore & dolore ſacroſancti capitis tui, crudeliſſime ſpinis compuncti, & dire

dire cæſi, ſimulque in eius innumera vulnera, infirmum caput meum cum viribus & ſenſibus meis & omnia peccata & delicta mea proiicio, præſertim,

Omnem proprij ſenſus & prudentiæ pertinaciã, ſenſuum abuſum & diſſolutionem: 1

Timoris tui neglectum, adulationem & timorem hominũ. 2

Indiſcretionem & immoderationem meam multam: 3

Impuram intẽtionem, & propriam quæſitionem, vitiaq; cuncta huc pertinentia, vt expientur precioſo ſanguine tuo. Obſecroq; te per ineffabilem ſapientiam, timorem, diſcretionem, & ſimplicitatem tuam, vt has eaſdẽ virtutes, & omnes earum ſpecies mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis & operibus meis ſim vere 4

Sapiens, nudo intellectu & affectu tibi adhærendo: 1

2 Piè metuens, ne te offendam, foris & intus me obſeruando:

3 Diſcretus, inter extrema medium virtutis attingendo.

4 Simplex & introuerſus, in te vno habitando, teq́; ſolum purè quærendo:

Atque in omni vita, præſertim mortis anguſtiis, ſit mihi certum in tuo vulnerato capite refugiũ.

AD DVLCISSIMVM COR IESV.

GRATIAS tibi ago amãtiſſime Ieſu, pro infinito amore & dolore dulciſſimi cordis tui, lancea militari, ſub aſpectu triſtiſſimæ matris tuæ dire confoſſi, ſimulq́; in ipſum totius boni fontem, totum cor meum, cum omnibus affectibus ſuis commendo, proiicio & reſigno, atque vna omnia peccata & delicta mea, præſertim

1 Omnem amorem priuatum & vitio-

vitioſum quarumlibet rerũ creatarum, & Sacramentorum donorumq; tuorum abuſum & negligentiam.

Diffidentiam, infidelitatem & 2
errores,

Temeritatem, puſillanimita- 3
tem, & deſperationem.

Eorum quę ſtatus mei ſunt, in- 4
curiã & inſtabilitatẽ; vitiaq; cuncta huc pertinentia, vt aboleantur & expientur precioſo ſanguine tuo. Obſecroq; te per ineffabilem Charitatem, Fidem, Spem, & conſtantiam tuam, vt has eaſdem virtutes tuas, & omnes earũ ſpecies mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam, in cunctis deinceps cogitationibus, verbis & operibus meis ſim vere

Feruidus, te vnum totis viri- 1
bus diligendo & ſuſpirando:

In proſperis & aduerſis, plena 2
Fide & Spe tibi innitendo & adhærendo:

Stabilis, continuo proficiendi 3
 ſtudio

ſtudio me extendendo:

4 Atque in omni vita mea, maxime tremenda mortis hora, ſit mihi ſecurum in hoc fidiſſimi cordis tui vulnere refugium.

AD DEXTERAM.

GRATIAS tibi ago iuſtiſſime Ieſu, pro incomprehenſibili amore & dolore vulneris ſanctiſſimæ dexteræ tuæ: atque in ipſum me totũ proiicio, ac omnia peccata & delicta mea: præſertim

1 Omnem meam iniuſtitiam erga te & creaturas tuas:

2 Cordis aſperitatem, diſplicentiam, & inuidiam;

3 Falſitatem, mendacium, & hypocriſim:

4 Ingratitudinẽ erga tua & tuorum beneficia: vt aboleantur & expientur precioſo ſanguine tuo. Obſecroq; te per ineffabilem iuſtitiam, miſericordiam, veritatẽ, & gratitudinem tuam, vt has eaſdem

dem virtutes, & omnes earũ ſpecies, mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, & operibus meis ſim

Iuſtus, vnicuique ius ſuum 1
tribuens:

Miſericors, omni creaturæ be- 2
ne volens, & faciens:

Verax & zeloſus, me totũ tuo 3
exemplo conformans:

Gratus, te ſemper benedicens, 4
& benefactoribus vicem retribuens:

Atque in omni vita mea, maxime pauenda mortis hora, ſit mihi certum in hoc ſacro vulnere refugium.

AD LAEVAM.

GRATIAS tibi ago fortiſſime Ieſu, pro incomprehenſibili amore & dolore vulneris ſiniſtræ manus tuę: atque in ipſum me totum proiicio, & omnia pec

cata & delicta mea, præſertim.

1 Omnem ignauiam, torporem, & temporis perditionem:

2 Impuritatem mentis & corporis:

3 Intemperātiam cibi, potus, & aliorum neceſſariorum:

4 Auaritiam & cupiditatem, vitiaq́; huc pertinentia: vt aboleantur & expientur precioſo ſanguine tuo. Obſecroq́; te per ineffabilem fortitudinem, puritatem, temperantiam, & paupertatem tuam, vt has eaſdem virtutes, & omnes earum ſpecies, mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam, in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, & operibus meis ſim vere

1 Fortis, nuſquam hærens, ſed caduca omnia deſpiciens:

2 Caſtus, ſenſus & vires meas in puritate cuſtodiens:

3 Sobrius, ſola neceſſaria cum timore percipiens:

4 Pauper ſpiritu & rebus, in te

ſolo

ſolo quieſcens:

Atque in omni vita mea, præſertim tremenda mortis hora, ſit mihi certum in hoc ſacro vulnere tuo refugium.

IDEM ADHVC EXERcitium, in rhythmos breuiſſimè contractum.

AD DEXTRVM PEDEM IESV.

AVE vulnus dextri pedis,
Ieſu veniam da reis:
Fac nos humiles lugentes,
Subiectos, te ſitientes. Pater noſter. Aue Maria.

Ad ſiniſtrum pedem.

Aue plaga rubicunda,
Nos à vitiis emunda:
Fac nos purè te quærentes
Taciturnos patientes.

Ad dextram manum.

Aue Ieſu vulnus dextræ,
Dei laudibus nos reple:
Iuſtos nos, miſericordes,

Pios, gratos, fac veraces.

Ad ſiniſtram.

Aue Ieſu plaga læuæ,
Nos internam vitam doce:
Fac nos fortes, abſtinentes,
Caſtos, pauperes, gementes.

Ad caput.

Aue caput cruentatum,
Spinis, felleq; potatum:
Sapientes, te timentes,
Fac nos ſimplices prudentes.

Ad transfixum cor.

Aue ruptum cor dolore,
Nobis patens ex amore:
Fide, ſpe, & charitate,
Vnias nos conſummatè.

Ad totum corpus Ieſu.

Aue corpus laniatum
Ieſu, tenſum & mactatum:
Noſtrum corpus coafflige,
Cor & ſenſus crucifige.

Ad animam Ieſu.

Aue anima triſtata,
Mille telis vulnerata:
Noſtram animam gementem,
Orbis mala fac deflentem.

Concluſio cum adhortatione ad inuocandam virginem Mariam.

Hæc ſi impetrare velis,
Dic Reginæ, quæ in cælis
Eſt, vt tibi cum filio,
In cunctis ſit auxilio; Amen. Pater noſter. Aue Maria.

DE PLENIORI CONFORmatione & transformatione in crucifixũ.

EXERCITIVM VIII.

OCTAVO exercebis te in interna acutaque meditatione vitæ & paſſionis Christi, imprimendo vitam, paſſionem & mortem eius profunde in animam & carnem tuam; vt ſemper, ob oculos tibi verſentur veluti precium longè digniſſimum; quo de captiuitate diaboli, peccati, & mortis liberati ſumus. Quia Chriſtus Ieſus hoc mediante precio nos redemit; quando diabolus nos vt ſeruos poſſedit; vt nunc ad patrẽ perti-

pertineamus, qui nos per vnigenitum filium ſuum emit, ſoluendo per eundem debita noſtra, quibus illi eramus obligati. Et huius maximi beneficij gratia, perpetuo manemus illi debitores. Quod ſi debitum hoc gratè ac piè eidem ſoluere velimus, vitam, paſſionem & mortem ipſius in animæ noſtrę vires, corporisq; ſenſus, & carnem, imprimamus, aſſumamus & imitemur oportet, quaſi vnum membrum cum cæteris naturalibus corporis eius membris cum vita & paſſione ipſius participans effecti eſſemus. Et ſic debitum, quod ipſe pro nobis ſoluit, illi vtcunque rependemus. Vt autem perfectè idipſum implere valeas, neceſſe eſt vt omnes cogitationes, verba, opera, & mores tuos adeò conformes cogitationibus, verbis, operibus, & moribus Ieſu Chriſti, vt vbicunque viſus, auditus ſiue conuerſatus fueris, nihil in te inueniatur, niſi

Vt redēptionis precium Chriſto ſoluamus.

niſi quod fuit in Chriſto Ieſu. Et tum demum videbitur in te argumentum certum quod ſis verè Chriſtianus.

Inſuper quoniã ille ſimilis nobis factus eſt humana natura, quã volens in mortem crucis dedit, non propter ſuum, ſed noſtrum peccatum, oportet vt & nos ſimiles ipſi fiamus, noſtram naturam eius exemplo libenter crucifigẽtes, in qua, voluntate propria, nõ aliena peccàuimꝰ. Hinc eſt quod nos hortatur in Euangelio dicẽs: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Per hoc enim iubet, vt corpus, naturam & ſenſualitatem noſtram per veras virtutes crucifigamus. Animas quoque noſtras conformabimus triſtiſſimæ animæ Chriſti, dolentes ſemper de inhonoratione Dei, animarum perditione, ac noſtris & omnium hominum peccatis: quia quãtum

Vt Chriſto conformemur.

Luc. 9.

in

in iſtis non proficimus, tantum manemus domino Deo noſtro debitores. Certe fidelis amator Ieſu tam profunde ſeſe immergere & imprimere debet in vitam & paſſionem eius, vt eãdem ſemper ſentiat ſibi magis præſentem & infixam, quàm ſuam propriam crucem & afflictioné. Imo ſi ſingulari pœna ipſe in aliquo membro torqueretur, magis tamé conueniret ipſum ſentire paſſionem Chriſti, quàm dolorem, quem in præſentiarum in eiuſmodi ſuo ipſius membro pateretur. Idcirco magno deſiderio orare nõ deſinet Dominum Ieſum, vt ipſum per ardentem, & reſignatum ſpiritum, triſtem, compatientem & mortificatam animam, per afflictum, laborioſum & excruciatũ corpus, ſuæ ſanctiſſimæ crucifixæ humanitati perfectiſſime cõformare dignetur, & aliquo ſubinde dolore corporali monere, vt ſuæ paſſionis nunquam obliuiſcatur,

vt ipſe in eo requieſcere & operari delectetur abſque vllo impedimento.

Beatiſſimam igitur domini Ieſu paſſionem exercere debemus, primò ad imitandum, ſecundò ad compatiendum, tertiò ad admirandum, quartò ad exultandum, quintò ad conformandum, ſextò ad quieſcendũ. Primò eã conſideremus ad imitandũ, quia ipſa eſt ſumma & perfectiſſima Chriſtiani hominis imitatio. Hęc eſt enim ſumma & ſanctiſſima religio, & religioſa perfectio: hæc eſt regula & exẽplar perfectionis omnis vitæ & virtutis, imitari Chriſtũ in vita, paſſione, & morte ſua. Sit ergo regula noſtræ vitæ, vita & paſſio Saluatoris; in qua tanto amplius conſolemur, quanto perfectius Chriſto cõformamur. Semper ergo quantum in nobis eſt, abſque tamen culpa noſtra, optemus vel ſaltem ægre nõ feramus, ab omnibus conculcari, deiici, vilipen-

Paſſio Chriſti ſex modis cõſideranda.

1. *Imitatio.*

vilipendi, illudi, affligi. Simus nudi cum nudo crucifixo Ieſu, & nihil omnino ſuperfluum habere cupiamus: imo habere aliquid, non neceſſarium, ſit nobis grauis pœna & dolor: nihil verò habere, niſi neceſſarium, magna exultatio. Abhorreamus dulcia & delectabilia ex mala ſenſualitate deguſtare, & potius velimus vilibus & amaris refici: æquè bene contēti, ſiue quælibet cibaria felleum, ſiue melleum nobis adferant ſaporem: quia Chriſtus Ieſus felle & aceto pro nobis fuit potatus. Et vt breuiter dicam, cōſideremus qualiter ipſe in paſſione ſua ſe habuit, & conformemus nos eidem pro modulo noſtro, quantum poterimus: ea tamen ſeruata vbique moderatione, vt non excedamus menſuram infirmitatis noſtræ,

II. *Compaſſio.* Secundò exerceamus nos ad compatiendum Domino noſtro innocentiſſimo, conſiderantes ipſius

ipſius flagella, illuſiones & opprobria, & in corde noſtro ruminantes, quanta fuit in eius paſſione deiectio & contemptus, quantus dolor, quanta afflictio in corpore & corde Ieſu, tam ratione propriæ paſſionis, quàm erga nos compaſſionis, ob peccata noſtra. Conſideremus quanta tunc triſtitia & amaritudine repleta fuit angelorum illa lætitia, de qua canitur: Angeli lętati ſunt etiam de eo: quantumq; aggrauabat Ieſum, non tantum pœnæ illatio & noſtra ingratitudo, ſed & aſſiſtentis matris afflictio, quã tenerrimè diligebat, & quã quaſi deficere præ compaſſionis dolore videbat. Eia ergo Chriſtiane hæc volue ac reuolue in corde tuo, & totum cor tuum reple cõuitiis & pœnis domini & ſponſi tui, videns illum tanta innocenter propter te ſuſtinuiſſe. Si enim illi per amorem bene vnitus fueris, tunc valde compatieris ei-

dem. Si autem non ſentis doloré capitis tui, quomodo es membrũ vnum cum illo? Certè ſicut plus compatiendum eſt capiti, quàm cæteris membris, quia dignius & nobilius eſt: ita illi incomparabiliter plus compati debes, quàm vlli etiam dilectiſſimo parenti, filio vel amico, imo plus quàm tibi ipſi, ſi ſimilia, qualia caput tuũ paſſum eſt, patereris. Nunc ergo chariſſimi, felle, abſynthio & aceto iugiter inebriemur, & ſola eius vulnera ſentiamus, quæ ſic tranſfigant cordis noſtri intima, vt nihil in nobis remaneat, quod non perfundatur cõpaſſionis dolore.

III. *Admiratio.* Tertiò attendamus paſſionem Domini ad admirandum, conſiderantes quis, quanta, & pro quibus, & à quibus paſſus eſt. Quis patitur? Profectò filius Dei, Chriſtus domini, Rex regum, Dominus dominantium, Redemptor mundi, homo iuſtus, innocens, ſegregatus à peccatoribus, qui omnia

omnia bene fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui: in cuius ore dolus inuentus non eſt. Quã-ta autem ſunt quæ patitur? Certè peregrinationem, fugam, famem, ſitim, frigus & æſtum, tentationes, horrores, perſequutiones, obſeruationes, ſputa, opprobria, vincula, flagella, illuſiones & dolores, plagas, vulnera & mortem. Conſpuitur enim gloria, condẽnatur iuſtitia, iudex iudicatur, innocens infamatur, Deus blaſphematur, Chriſtus conculcatur, occiditur vita, obſcuratur ſol, luna denigratur. Et hæc omnia tolerat patienter vt agnus, qui ſolo nutu omnem ingratam creaturam demergere poſſet in profundum inferni. Sed pro quibus tanta patitur? Pro viliſſimis mancipiis, pro ſceleratiſſimis inimicis, pro ingratiſſimis filiis, pro contemptoribus diuinæ maieſtatis, & diuinæ bonitati ingratis. Mirare igitur, quod talis ac tantus, talia & tan-

Quanta.

Pro quibus

tanta, pro viliſſimis & abiectiſſimis peccatoribus paſſus ſit. Cæterum à quibus paſſus eſt? A creaturis creator altiſſimus, à filiis pater benigniſſimus, à ſeruis dominus fideliſſimus, & à ſuis electis & prædilectis, quibus omnẽ benignitatem oſtẽderat, à viliſſimis optimus, à ſtultis ſapientiſſimus, ab impiis piiſſimus, à ſanie fœdiſſima ſplendor æternus. In his omnibus in diuinæ benignitatis & largitatis admirationem grata mente eleuemur.

A quibus

IIII. *Exultandum eſſe in Chriſti paſſione triplici de cauſa.*

Quartò imprimamus nobis dominicam paſſionem ad exultandum. Exultare autem in ea debemus cum intima gratiarũ actione, de redemptione humana, reſtauratione angelica, & diuina clementia. De redemptione humana, ſine dubio multum gaudere debemus per Chriſti paſſionẽ & mortem completa. Quis, quæſo, non exultabit & gaudebit, cernens ſeipſum per hanc beatiſſimã paſſio-

paſſionem liberatū à morte æterna, à culpæ ignominia, à poteſtate diabolica? Et quis non exultabit in immenſum, cernens ſe à Deo altiſſimo intantum dilectum, vt huiuſmodi vilitati & afflictioni ſubiecerit ſeipſum, pro peccatore redimendo? Non quod gaudebit de Domini ſui abiectione & paſſione, ſed de eius effectu, affectusq́; & amoris manifeſtatione. Quis princeps in regno vel imperio alicuius Imperatoris vel regis, cernens tantum à Domino ſuo ſe diligi, vt paratus ſit mori pro ſe, non magnopere gauderet & exultaret? Quāto magis nos viliſſimi homines, & nepharij peccatores, & ſerui mali, gaudere debemus & exultare, videntes regē regum & dominū dominātium, & creatorem noſtrum Ieſum nos tanto amore diligere, vt immolarit ſeipſum pro nobis in tam turpem & viliſſimam mortem? Gaudeamus igitur immēſa exultatio-

ne, quòd ſine comparatione plus quemlibet noſtrum diligit, quàm
2 quiſque ſeipſum. Gaudeamus & exultemus, quòd per Chriſti paſſionē reſtaurata eſt angelica ruina. Magna iucunditas debet nobis ineſſe, quum videmus per Chriſti mortem tam nobile collegium reparari; vt fiat vnum ouile & vnus paſtor. *Ioan. 10.* In hoc enim debet tota cœleſtis curia & militans Eccleſia merito gratulari. O amabilis & reuera venerabilis paſſio Saluatoris, quæ ſic disiuncta coniungit, ſequeſtrata conglutinat, & firmiſſime ſimul vnit, ſtringitque vinculo conſummati amoris, & felicitate gaudij ſempiterni.
3 Præcipue autem gaudere & exultare debemus, videntes in ſupradictis omnibus miram ſummamque clementiam Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et hanc puto ſummam eſſe gloriam bonorum tam hominum quàm angelorum, perfectius contemplari

plati clementiam & beneuolentiam Dei; & immenſitatem bonitatis eius. Hæc etiam debet eſſe cuiuſuis contemplantis exultatio maxime interna in ipſis animæ medullis. Vbi enim, quæſo, magis apparet diffuſio bonitatis diuinæ, & benigniſſimæ clementiæ dulciſſimi & amantiſſimi patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm in paſſione ſua, vbi talia ac tanta, tam turpia & grauia ſuſtinere voluit pro inimico ſuo liberando & glorificando? In iſtud gaudium intret homo, & reficiatur magnificentia bonitatis diuinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde ſuo exaltetur excellentiſſima & inenarrabilis clementia Chriſti paſſi.

Quintò etiã conſideremus beatiſſimam Chriſti paſſioné ad cordium noſtrorum conformationem, & perfectam transformationem in ipſum. Quod fit, quando homo non ſolum imitatur, com- V. *Conformatio.*

compatitur, admiratur, exultat; ſed etiam quando totus conuerti videtur ad ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crucifixũ per amorem: vt iam ferè vbique, & ſemper ſibi crucifixus occurrat. Imo tunc verè in ipſum tranſformatur, quando exiens ex ſeipſo, & omnia ſupergrediens, imo ſupra ſeipſum abſtractus ab omnibus, totus eſt conuerſus in Dominum ſuum paſſum, vt iam quaſi videat & ſentiat intra ſeipſum, Chriſtum crucifixum, illuſum, probris affectum, & paſſum pro nobis ex amore ſuo diuino.

VI. *Quies.* Sextò conſideremus eandem beatiſſimam Domini paſſionẽ ad quietem dulcoris interni, quod fit, quando homo ſic, vt dixi, trãſformatus, ſitibundo corde eandem paſſionem ruminare nõ ceſſat, & intrans ſecundum poſſe ſuum, infinitum illum paſſionis theſaurum, humiliter & deuote liqueſcit amore deuoto, & feruida

uida deuotione, & ardenti dilectione deficit à ſe, & requieſcit in Chriſto crucifixo. Sed quanto illi plus inhæret & innititur, tanto amplius deuotiſſimo amore in ſe deficit & liqueſcit: & quãto plus à ſe deficit per amorem & deuotionem, tanto amplius eidem dilecto pro ſe mortuo inhæret, vnitur & requieſcit in eo. Et ſic mutuo ſeſe augent adhęſio amoris & deuotio, donec ſponſa, id eſt, anima abſorbeatur ab ardentiſſimo illo camino amoris & paſſionis ſponſi prædilecti, in cuius amplexibus obdormiẽs requieſcit. Meditare igitur Domini paſſionem imitando, ad purgationem mentis & dilectionem: compatiendo, ad amorem & vnionem: admirando, ad cordis eleuationem: exultando, ad cordis dilationem: cõformando, ad perfectam conuerſionem: quieſcendo, ad deuotionis conſeruationem.

VT QVAEQVE SVPERFLVA *& impedimenta abijcienda ſint.*

EXERCITIVM IX.

NONO circuncide animam tuam ſeuere ab omni cogitatione, amore & recordatione creaturarum, exceptis illis duntaxat, quibus carere non potueris, propter Deum & in Deo vtẽdis. Et cuſtodi ſenſus tuos omni tempore ſtricte ab omni ſuperfluitate, vanitate & ocio. Et conſerua corpus tuũ ſemper in ſimplicitate, ſobrietate, & paupertate. Et perfecte ſemel abiice omnia, quæ tibi vnquam mediũ aliquod præſtare potuerint, inter Deum & animam tuam. Vt autẽ iſtud fructuoſe implere valeas, attende diligenter omnia media viſibilia & inuiſibilia, creaturasq; ſenſiles & inſenſiles, quę tibi media & impedimenta pepererunt, & adhuc parere poſſent: & tunc veram

veram integramq; ab illis fac aueríionem, & perfectam tui ad Deum conuerſionem. Expendes quoque an in tali ſis loco & ſtatu, in quo Deo fideliter ſeruire & placere queas. Abſcindenda nihilominus & reſignāda tibi ſunt externa, quibus vteris, vltra veram & iuſtam neceſſitatem: qua ſola, paupertatis Christi amore contentus ſis, videlicet neceſſariis veſtibus, libris & vtenſilibus, ſobria refectione vnica vel bina in die, iuxta temporis & cōplexionis tuæ rationem, eligendo in omnibus viliora, vt humilis ſimplicitas vbique ex te, tuiſque ſtudiis reluceat. Nā exterior deſiderata paupertas, mirum in modum cooperatur vero profectui & paci cordis. Ad hæc valde conducunt abdicatio omnis quæſitæ delectationis, votorum diligens cuſtodia, creaturarum omnium, quæ votis tuis obſiſtant, fuga, ad Deum fortis adhæſio, obedien-

Adminicula perfectionis.

tia

tia ſimplex voci Dei & ſuperioris tui, diligens examinatio & obſeruatio cordis, oris, & operũ tuorum, & id genus alia, quæ velut oportuna adminicula ſunt aſſumenda; vt cũcta tollãtur impedimenta, quæ profectũ tuũ in principio conuerſionis remorentur.

VT OMNEM HOMINEM *diligamus ſicut noſipſos.*

EXERCITIVM X.

Dilectio fraterna quomodo exercenda.

DEcimò exerce te in vera dilectione omnium hominũ, iuxta exemplum & charitatẽ Ieſu Chriſti, qui ſumma & ardentiſſima dilectione & deſiderio omnibus ſeſe totum impẽdit hominibus, docuitq́; & præmõſtrauit illis cum quibus vixit, viam ſalutis & perfectionis, idq́; vera & perfecta vita, ſanctaq́; & diuina doctrina. Quapropter ſi verè vitam eius aſſumere volueris, ipſum in hoc imiteris oportet: ducasq́; ſem

Proximũ noſtrum vti exemplo verbóque docere debeamus.

per

per ſanctã & deiformem vitã coram omnibus hominibus, vt per tuam vitam trahantur ad imitationem vitæ Ieſu Chriſti. Oſtendes inſuper & docebis proximũ tuum bonis exhortationibus viã ſalutis æternę. Hinc interdum accedens proximũ tuum, loqueris cum eo de virtutibus, ex quibus melior fiat, vt attendere & imitari velit vitã & amorẽ Ieſu Chriſti: conſideret quoq; nobilitatem animæ ſuę, quomodo Deus ſuam ipſius imaginem illi impreſſit, eã per ſeipſum redemit, quodque amor Dei vita ſit animæ, quemadmodum anima ipſa vita eſt corporis: & ſicut corpus moritur migrãte ex ipſo anima, quod ita anima mortua eſt abſq; amore Dei. Hæc & alia proximis ſuggeris, o- quæ te ſpiritus ſanctus docebit, eo præſertim tibi commiſſis, vicinis, a- aut doctrinę capacibus: formidans Deũ animas illorũ, quas ſaluare potueris, à te requiſiturũ, tanquã mem-

Vt vites contraria dilectioni.

membra tua. Neminem igitur iudices, contemnas, contriſtes aut lædas: ſed dilige omnem hominem, tanquam teipſum. Quod vt citius obtineas, perſuade tibi omnem hominem eſſe teipſum: quia ſumus inuicem membra, illique congaudeas, condoleas, ſeruias, & benefacias: opera quoque miſericordiæ corporalia & ſpiritalia toto corde impendas, ſicut tibiipſi. Quamobrẽ diligentiſſimè aſſueſce, vbi primum ſenſeris aliquem motum diſplicentiæ aut amaritudinis contra quemcunque hominem, ſeu quoduis aliud vitium tibi incidere, ſtatim leuato dulciter in Deum corde, id à te repellere, tanquam virus diaboli, quo nititur charitatem proximi in te necare vel minuere? Nam ex noſtra frequẽter negligẽtia & tepiditate contingit, quòd noxiæ cogitationes à nobis non recedãt magnum ſpiritualis lucri detrimentum parturientes; tametſi illis

lis non conſentiamus: quandoquidem non curamus totis nos viribus in anteriora extendere, & diuinis nos deſideriis ſedulo occupare. Certum tamen eſt, quòd interdum non culpa noſtræ tepiditatis, vel negligentiæ, ſed ſolo Dei permiſſu ad noſtri exercitationem, huiuſmodi nos importunæ cogitationes fatigant.

VITA VNITIVA quomodo exercenda ſit:

VT SIT ABSQVE OMNI *creatura, peccato, & delectatione viuendum.*

EXERCITIVM XI.

VNDECIMO exercebis te ad perfectã cum Deo tuo vnionem obtinendam. Hæc autẽ vnio perfectam requirit cordis puritatem ac mundiciem, atque etiam veram denudationem, & expoliationem ab omni creatura, ab omni *Vnio cũ Deo perfecta quomodo acquiratur.*

omni peccato, & ab omni inordinata delectatione. Ab omni creatura in affectu & intellectu, quantum poſſibile eſt, nudatus viuere ſatagas oportet, ita vt ab omnibus rebus ita nudus fieri & permanere feruenter deſideres, ſicut nudus ante tribunal Chriſti ſtabis, vt ſic abſque vllo medio tuo creatori valeas couniri. Viuere etiam ſtudebis abſque peccato voluntario; quod tum facilè erit, ſi ſemel fortem auerſionem ab omni malo conceperis, & feruentem conuerſionem ad omne bonum, quod Deus eſt, feceris: quia omne peccatum voluntariũ etiam minimum, impedit hanc diuinam vnionẽ. Viuas etiam neceſſe eſt abq; omni vitioſa delectatione, quæ in ſumptione cibi & potus: in cõmotione & rebellione carnis: in conſideratione & contemplatione rerum pulchrarum, præſertim mulierum, ſentitur: quia ſiquãdo huiuſmodi delecta-

Vt viuas abſque creatura.

Abſque peccato.

Abſque delectatione.

lectationem aliquam vitioſam habueris, & diutius detinueris in teipſo, Deus negabit tibi delectationem & ſuauitatem illam, quæ ipſe eſt, & quæ ipſo donante, ſentitur. Quapropter ſi non curandum tibi eſſet quod ad conſeruationem tuæ naturæ, & ad bonam valetudinem attinet, æque bene contentus eſſe ſtuderes, ſi nō plus ſaperet tibi panis, quam lapis: piſcis quam ſerpēs: ouum quā ſcorpio. Cæterū vt illius gratia agnoſcatur, & gloria augmētetur, qui granum frumenti & tritici creauit, & panem dedit, qui piſcem & ouum in verum purumq; corporum noſtrorum alimentum conceſſit: permittitur tibi plus ſaporis & delectationis in pane quam in lapide: in piſce quam in ſerpēte: in ouo quam in ſcorpione deguſtare: ſic tamen vt ex illo ſapore & delectatione mox tranſeas ad Deum, qui ſaporis differentiam, & diſcernendi iudiciū dedit. Pari

modo faciendum eſt in omni delectatione, cui non eſt annexum per ſe peccatum, vndecunq; proueniat: quia creatoris admirabilis benignitas dulcedıné quandã infundit omnibus rebus creatis, non vt in ea hæreamus, ſed vt per eam ad eum, qui longè maiorem ex ſe paratus eſt nobis dare delectationem, tranſeamus. Nullum ergo medium ex creaturis, hoc eſt, ex illarum delectatione in te reſidere patieris, ſed ab omnibus exutus atque nudatus creaturarum retinaculis & impedimentis ad ſolum Deum accedes, totus torrente voluptatis eius inebriandus. Igitur frequenti introuerſione ſtude, quantum potueris, viuere in omnimoda abſtractione & nuditate intellectus & affectus ab omni creatura, peccato & delectatione, quia hæc tria fideliter & diu exercitata, faciunt hominem verè cœleſtem & angelicum, ita vt liberius frui poſſit Deo

Nudis intellectu & affectu Deo adhære.

Deo ſuo, prout ipſa experientia te docebit. Idcirco intellectum tuum & affectum ſemper magis denudare & purificare ſtudeas ab omnibus phātaſmatibus & imaginibus, ab omni amore creaturarum, ab omnibus peccatis & delectationibus malis, exemplo crucifixi Ieſu, non minùs eligens amara quàm dulcia, cōtumeliam quàm honorem, penuriam quàm abundantiam, vt ſic puro corde Deo adhærens, vnus cum eo ſpiritus efficiaris.

DE ASPIRATIONIBVS, *reſignatione, & poſtulatione.*

EXERCITIVM XII.

DVodecimo fortiter te exercebis in exercitio quadriformi aſpirantis & vniētis amoris, vtens in tua operatione affectu potius quàm intellectu: conſurgensq; magis per aſpirationes

feruentes, quam per meditatio-
Meditatio. nes. Quod tamen vt obtineas, principio opus tibi erit meditatione deuota colligere faſciculũ quendam diuini amoris ex beneficiis, quæ Chriſtus tam ſecundum diuinitatem, quam humanitatem ſuam tibi præſtitit, ad inflammãdum videlicet cor tuum: quorum maximum eſt eius paſſio, cuius opus inſpicias ad compatiendum, modum ad imitandum, & cauſam, id eſt, charitatem illius ad te infinitam, ad inflammandum cor tuum: donec ſic aſſuefactus ſis, vt tandem abſque multo labore vel meditatione affectus tuus valide erga Deũ incaleſcere & inflammari poſ-
Inflammatio. ſit. Et hæc inflammatio eſt vnicum fundamentum, & radix vitæ contemplatiuæ, vnde conſurgit aſpiratio ad amorem vnientem, qũa ſcilicet fidelis anima aſpirat flammigeris deſideriis, vt per amorem vniri poſſit infinito

amo-

amori, qui Deus eſt, & ab eo quaſi penitus abſorberi. Vt autem ad illum amorem peruenias, aſſueſces omni loco & tempore, orationes ignitas & eiaculationes ad Deum magno cum feruore emittere, atque humili reſignatoq; corde Deum orare, vt det tibi perfectum tuiipſius & omnium rerum contemptum, teq; totum ſibi vnire & quaſi abſorbere dignetur in immenſo amoris ſui incendio, dicens hoc vel ſimili modo: O amantiſſime domine Deus meus, O vita animæ meæ, O totum deſiderium & gaudium meum, Da mihi diligere te ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis. O quando veniam & apparebo ante faciem tuam? O quando tibi totus vniar, & immergar? Te totum ſitio, Me totum tribuo. O Deus ſuperdigniſſime miſerere mei indigniſſimi. O Deus fortiſſime, ſub-

Orationes iaculatoriæ.

ueni mihi miſerrimo. O Deus ſanctiſſime, ſuccurre mihi impiiſſimo. O quando meipſum & vniuerſum mundũ, perfecte contemnam propter amorem tuum? O quando te nudè amplector brachiis animæ meæ? Et ſimilibus aliis mille modis. Hoc denique exercitium vnientis amoris, initium eſt & finis omnis perfectionis: quod cum magna, diſcreta tamen, violentia ſpiritus, ne natura lædatur, exercendum eſt, per quod tentationes & media inter Deum & animam facile auferuntur. Attamen oportebit te diu præ foribus ſtare antequam Deus te volet ad vnionem intromittere. Et tunc diſcrete pulſabis ianuam pietatis ſuæ his quatuor exercitationum malleis, qui ſunt Offerre, Exigere, Conformare, & Vnire: quibus dilectum tuum excitabis ad intromittendum te in vnitatem Spiritus, ſeruando te longanimiter in præſen-

præſentia Dei per aſpirationem vnientis amoris. Primo igitur in tua ad Deum conuerſione, Deo liberaliter in holocauſtum laudis offeres omnia quæcunque Spiritus Dei per inſpirationem ſuam à te exigere poteſt, maximè perfectam abnegationem & contemptum tuiipſius, abſciſſionem omnium ſenſualium oblectationum, quibus cor tuum inordinatè poſſet affici & maculari, licet ſint res paruæ, vt verba otioſa, vana ſocietas, leuitas, curioſitas ſenſuum, & ſimilia. Offeres etiam te ad diſcretam mortificationem ſiue rectam gubernationem naturalium paſſionum, vt ſunt triſtitia, gaudium, ira, amor, odium, ſpes, timor, pudor. Similiter offeres te hilariter ad tolerandum prompta voluntate, propter Deum, omnem aduerſitatem in fama, bonis, & amicis tuis: omnem quoque ægritudinem, pœnam, afflictionem, confuſio-

Reſignatio ſpiritali homini neceſſaria quæ.

fuſionem, & preſſuram cordis: & generaliter ad vniuerſa, quæ vlli hominum in tempore huius ſæculi accidere poſſint. Cum verò in his omnibus te perfectè reſignatum inueneris, tunc poteris plena fiducia ad aliud huius exercitij membrum tranſire, quod eſt exigere, de quo Chriſtus monet: Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Exiges igitur à domino Deo tuo, non ſolum omne quod habet, ſed etiam omne quod ipſe eſt. Ante omnia enim petere debes, ipſum nudum dilectum Deum tuum, ad amandum eum & fruendum ipſo in æternum. Poſt hoc exiges à Deo tuo promptiſſimam voluntatis tuæ ſubmiſſionem, ſtabilem memoriæ tuæ in Deo adhæſionem, & puriſſimam intellectus illuminationem, ad cognoſcendum pleniſſimè diuinum beneplacitum: atque ad illud exequendum ſemper.

Poſtulatio ad Deum facienda quæ.
Luc. 11.

per. Poſt hæc exiges veram cognitionem tuiipſius, vt verè cognoſcas maximam tuam vilitatem, ingratitudinem, indignitatem, vt per hoc te poſſis perfectè contemnere & humiliare. Poſtremo exiges perfectam cognitionem & poſſeſſionem omnium virtutum. Magna quoque orationis inſtãtia laborabis pro ipſis veris virtutibus acquirendis & poſſidendis: & id maximè tibi curæ erit, vt verus amor Dei in te magis ac magis indies creſcat, & augeatur.

DE CONFORMATIONE *& vnione cum Deo.*

EXERCITIVM XIII.

TErtiodecimo loco exercebis reliqua duo ſupradicti aſpirantis exercitij membra laborando vt dilecto tuo magis ac magis conformeris: Et hoc imprimis

mis curandum tibi erit, vt cùm ignis amoris fuerit in corde tuo accenſus, exuras in ipſo omnem tuam diſſimilitudiné, hoc eſt, vitia & defectus tuos, malas & inordinatas paſſiones, immortificationes, & imperfectiones tuas. Quæ omnia quaſi in vno diſplicentię & cõtritionis faſciculo cõgeſta proiicies in imméſum igné diuini amoris, vt ibidé conſumãtur. Deinde ardẽti deſiderio deiformitatis conſurges, & deuotis poſtulationibus exiges à Dño Ieſu, vt eiſdé virtutibus animã tuã adornare dignetur, quibus ipſe ornatus fuit, in omnibus perfectionibus ſuis. Et has multo citius per flãmigeras aſſiduasq; orationes obtinebis, quàm per vllũ alium laboré externum. Specialiter verò te cõformabis humanitati Chriſti, atq; eius ſanctiſſimis virtutibus, quæ in deſpectiſſima & acerbiſſima morte illius emicuerũt: ſic componés affectũ tuũ,

Cõfirmari in quibus præcipuè debeamus Christo.

vt in

vt in hoc exercitij genere ceſſare non velis, niſi prius in te effectus profundiſſimę humilitatis, vilitatis, abiectionis, paupertatis, patiẽtiæ, & charitatis, verè cõfirmatus fuerit. In quibus tam diu te exercebis, ſubinde renouando ac repetendo flammigeros ad Deum affectus, & quaſi violentas quaſdam orationes emittẽdo, per quæ Deus potiſſimum dare ſolet ſuæ plenitudinem gratiæ & amoris, donec ſenſeris deſiderium verum patiendi quælibet pro Christo, & conformandi te eidem in omnibus. Quartum denique membrum huius exercitij eſt, vnire & transfundere voluntatem tuam in diuinum beneplacitum. Sicut enim exercitium præcedens aſpirationis & vnientis amoris, ideo continuatur & indeſinenter agitur, vt quieſcas in ſolo Deo, quò flammigeris deſideriis in ſpiritu vnum cum eo fias; ita in iſto vnionis exercitio, perpetuis *Vnitio.*

petuis

petuis æſtuantibusque deſideriis eniti debes pleniſſime, abſque vlla cordis retractione, voluntatem tuam vnire atque transfundere in gratiſſimum Dei beneplacitum : ita vt ex vero amore ipſum diuinum beneplacitum ſemper ſit ſummum tuum deſiderium, iucunditas & ſolatium in omnibus; ſiue ſint exteriores aduerſitates, infirmitates, perſecutiones, oppreſſiones, & pœnæ; ſiue interiores preſſuræ, ſubtractiones gratiæ, aut tentatio quæcunque. Et in tali tempore obductionis & tentationis, maximè tibi cauendum eſt, ne aliquas conſolationes per ſenſus tuos quæras, aut leuiter te extrouertas, ſeu ocio marceſcas. Sed ſemper quoad poteris, ad bona exercitia te cogas, aut bonis operibus ſaltem te occupes: quæ licet tibi ſint tunc inſipida, ſunt tamen Deo magis accepta, cum fideliter, quod in te fuerit, feceris.

Qua-

Quapropter ſtatue fixum in corde tuo, omnia hæc aduerſa idcirco tibi Dei permiſſu accidere, vt probet fidelitatem tuam, & habeat occaſionem copioſius te ditandi omnibus donis & gratiis ſpiritalibus, ſi fideliter perſeueraueris.

Et his breuiter præmiſſis, ac velut in quendam faſciculum pariter collectis, vlterius conſcendere debes per amorem vnientem, in ipſam charitatem increatam, quæ Deus eſt: vt ſic ibidem anima feliciter liquefacta, omnium eorum, quæ petiit à Domino, quaſi ſigno factam impreſſionem recipere mereatur. Cæterum quiſquis hæc crebro exercitauerit, & illis perſeueranter inhæſerit, impoſſibile eſt vt ad vitæ perfectionem non perueniat. *Abſorptio in Deum. 1. Ioan. 4.*

Hinc, cum tanto feruore, Dei incipies honorem quęrere in omnibus, vt quaſi tuiipſius oblitus, *Zelus diuini honoris.*

pro nihilo ducas te mille pro eo periculis exponere; & quicquid ad eius honorem ſpectare noueris quantumuis difficile, cum gaudio quodam amplectaris.

Odium tui. Quum autem omnia feceris, quæ potueris, quaſi nihil te feciſſe, imo defeciſſe exiſtimabis, quòd minus feciſſe videris, quã debueras: erubeſcens & teipſum perfecto quaſi odio deteſtans, quod tali ac tanto Domino tam negligenter obſecutus ſis. Quapropter maiora & perfectiora quolibet momento temporis agere & pati deſiderabis.

Dilectio Dei. Et quia à Dei dilectione vehementer impedit amor proprius ſeu dilectio ſui, ideo debes teipſum perfectè odire, & pleno corde petere, abſque tamen tua culpa, ab omnibus deſpici, conculcari, & viliſſimus reputari. Nec pro magno habebis, ſi in tuis iniuriis delecteris, & in tuis doloribus conſoleris, niſi etiam cupias alios

 crede-

credere, te iſtis & omnibus pœnis ac contumeliis eſſe digniſſimum; & teipſum adeo deſpicias, vt vix tolerare te queas, ita vt etiam ab irrationalibus creaturis (ſi Deo viſum fuerit) impugnari & puniri non refugias. Quod ſi hoc pacto animam tuam oderis, ad perfectam Dei dilectionem facilè pertinges. Verumtamen ſcias perfectiſſimum hoc proprij odij tuiipſius donũ, ſolum Deum dare poſſe, & dare paratum, ſi id inſtanter poſtulaueris.

Porrò ſi prædicta creatoris dilectione ita inebriatus fueris, alterum etiam quod in ſupradicto exercitio poſtulaſti adiiciet, videlicet vt ſuæ crucifixæ imagini perfectius conformeris: vt nihil in omnibus, & per omnia quæras eorum, quæ tua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quomodo illi poſſis feruentius ſemper ſeruire, placere & conformari: atque perfectius *Conformatio.* *Philip. 2.*

ctius tuam voluntatem abnegare, & ipſum diligere: obliuiſcens quodammodo tui & omnium rerum: & præ amoris magnitudine non aduertens dulce & amarum: ſed in omnibus creaturis ſolum quærens & conſiderãs Deum creatorem, ac eius voluntatem & honorem. Sicq; in actiua vita contemplatiuam duces, ſi te totum recolligens intres in cor tuum, & eius intima penetrans, reſoluas, reſignes, & amittas te in Deum. Et tunc quodammodo deificatus & quaſi in Deum transformatus, ad quodcunque te conuerteris, nihil niſi Deum conſiderabis. Sicque Deum inuenies in omnibus. Et hoc ipſum oratione magis quàm induſtria tua, à diuina impetrabis largitate.

Vt ſemper pulſandum. Porro ſi ea, quæ ſupra diximus, nimis tibi ardua fuerint viſa, incipies ſaltem conari, vt id per te eligatur, quod fuerit magis

gis

gis honorificum Deo, conforme Chriſto, vtile tibi & proximo. Et ſi quid aduerſum tuæ voluntati acciderit: aut ſi quid cruciabile & ignominioſum tuo corpori euenerit, fac vt patienter, & æquo animo hoc feras, indeſinenter cordis deſiderio clamando ad dominum pro gratia & adiutorio illius. Et ſi ſic fideliter perſeueraueris in oratione & operatione ſpirituali, tandem te dominus miſericorditer liberabit à tumultu cogitationum & affectionum terrenarum, quas nulla arte melius fugabis, quam continuo deſiderio dilectionis Ieſu Chriſti. Sed & hoc ipſum deſiderium neceſſe eſt vt idem ipſe dominus Ieſus inſpiret, det & operetur in te, in te, inquam, nihil aliud agente, quam non tu: ſed te interim petente, ſuſcipiente & non impediente. Poſtremò, quanto perfectius omnem tuiipſius amorem, & mundanam cupiditatem abie-

ceris, tanto firmius Deo vnieris, & eius amore inebriaberis: ſicut pulchre Eſaias, poſtquam hortatus eſt nos, vt diſſoluamus colligationes impietatis, & ſoluamus faſciculos deprimentes, & exhibeamus proximis opera charitatis & miſericordiæ, & ſabbatum Domini cuſtodiamus, promittens dicit: Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies: & requiem dabit tibi Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Et poſt pauca: Dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum eſt. Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat. Vide reliqua

Eſaia 58.

Ibidem.

Ibidem.

quæ

quæ ſequuntur, Eſaiæ LVIII. & LIX. capitibus.

QVOMODO IN DEO VIVAS & frequenter vnionem renoues.

EXERCITIVM XIIII.

POST omnia hæc, quæ prædiximus, exercitia, gradatim & ſingulatim tempore ſuo fideliter expleta, ſuper omnia diſces verè & ſpiritualiter in Deo viuere & manere. Et hoc fieri oportet per tres virtutes, videlicet veram viuidamq; fidem, ſpem firmam, & per purum & ardentem Dei amorem. Quia non ſatis eſt te Deum in te habere, quem cito amittere potes, niſi tuipſe quoque in Deo fideliter per amorem permanſeris. Primò quidem humiliter & firmiter ſperes te eſſe in Deo, & Deum intra te præſentem, vt ſacrum teſtatur Euangelium & ſcriptura Diuina de iis,

qui non indignè Chriſti carnem manducant, quique eius ſermonem & dilectionem obſeruant.
Ioan. 6. Qui manducat, inquit Dominus, meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego
Ioan. 14. in illo. Et iterum: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem a-
1. Ioan. 4. pud eum faciemus. Et rurſum Ioannes: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo ma-
Ioan. 17. net, & Deus in eo. Ex his con-
1. Ioan. 4. ſtat, quod is ſperare poſſit ſe eſſe in Deo, & Deum intra ſe præſentem habere, qui in Dei & proximi ſui manet charitate, qui ſermonem Chriſti ſeruat, eiusque carnem manducat. Deinde vbi iam firmiter ſperaueris eſſe te in Deo, diſcendum tibi eſt viuere & permanere in illo, quod eſt homini maximè ſalutiferum. Viuere autem in Deo, nihil aliud eſt, niſi Deum viuentem in ſe ha-

bere

bere. Et tunc viuentem eum in nobis habemus, quando noſtris vitiis, mortui, & mundo crucifixi ſumus. Si ergo in Deo viuere velis, prius cunctis vitiis moriaris neceſſe eſt, & mundo crucifigaris: vt cum Paulo dicas: Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Deinde omnes vires animæ tuæ, ſenſus, & affectus tuos ita regere & gubernare ſtudebis, vt extra Deum nihil operentur, nihil patiantur, ſed tota anima tua quaſi in Deo habitare, & intra ipſum quaſi concluſa eſſe videatur. Quod ſi obtinueris, nullæ te grauabunt moleſtiæ, nullæ prement curæ, nulli deiicient angores; ſed plurima pace & ſecuritate gaudebis. Nam hinc iſtud tibi proueniet, quod omnia bona & mala non à creaturis, ſed in ſancta ſimplicitate, abſque omni multiplicitate & curioſitate immediate à ſolo Deo Galæ. 2.

humiliter recipies, & rurſus in Deum referes: quærendo ex omnibus quæ obuenient tibi, honorem & beneplacitum Dei, proximorumque ſalutem promouere: & tuiipſius humiliationem & emendationem inde elicere, Deoque & omnibus hominibus propter Deum, maxime autem ſuperioribus tuis, humiliter obedire, abnegata in omnibus tua propria voluntate. Et quid mirum eſt? Siquidem te cognoſcis eſſe in Deo, vbi nec vlla te poteſt creatura contingere, niſi prius (ſi loqui ita liceat) Deum contingat: eo quòd teipſum totum exueris, abnegaueris, tranſtuleris, & incluſeris in Deo. Quandoquidem ergo Deo ſic te vnitum, ſic te incluſum cognoſcis, vt anima tua ipſi, quam tuo corpori, coniunctior ſit: credisque quòd Deus ſit æternum, vnicum, incomprehenſibile & ineffabile bonum, ex quo anima tua profluxerit,

Vt Deũ ſentias præſentem.

rit, tantamq́; habeas Dei ſimilitudinem, vt creatura nulla eius nobilitatem plene capere, & ſcire poſſit, age, diuino ſemel ſuccēſus amore, ad altiora huius exercitij faſtigia accedere non graueris, nec moleſtum videatur, quæ hic ſubiicimus, quotidiano labore, & ſtudio indefeſſo perficere.

Exercitium vnionis.

Coram crucifixi imagine procumbens, credes ſedere te coram nudo crucifixo cruentóq́; Ieſu Domino tuo. Et licet eum nō videas oculis externis, interioribus tamen non videre nō poteris. Cū enim te illi vnire, ipſumq́; ſupra omnia diligere appetas, quis dubitat, quin præſens adſit tibi? Cæterum, quia non raro poſt gratioſam hāc cum Deo vnionē, laberis in aliquem defectū, & quia Deus minimum, quod voluntarie commiſſum eſt, peccatum, non patitur in eo reſidere, cui ſe vnire paratus eſt; ideo per ſacratiſſima Ieſu vulnera, iterum reſurgas ſtatim

Deus præſens.

& aſcendas oportet, vendicās tibi totum ſuæ paſſæ humanitatis meritum, quo pertingas ad ſanctæ diuinitatis indultum. Ipſe enim ait: Nemo venit ad patrē, niſi per
Ioan. 10. me. Et iterum: Ego ſum oſtiū: per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur: & paſcua inueniet. Et primo quidē (pręmiſſa tamē pura confeſſione, contritione, & ſatisfactione, ſi neceſſe fuerit) profunda cum humilitate, ad ſacros illius collapſus pedes, duo facies. Prius eſt, quod lachrymis illos rigabis externis, ſi concedantur; ſi negētur, internis, quæ ſunt, triſtitia cordis, diſplicētia lapſus, peccati deteſtatio, emendę promiſſio, & propoſiti renouatio. Per has lachrymas immerges teipſum, & omnia peccata tua, omnesq; defectus paruos & magnos, quibus ipſum fideliſſimum patrem tuum in cōſcientia tua inueneris te rurſus offendiſſe, in ſacra illa pedum Ieſu vul-

Pedes Ieſu vt myſticè lachrymis rigādi atq; extergendi ſint.

nera. Nam quia æterna Dei bonitas, nullum (vt dixi) patitur medium peccati, quantumuis exiguum inter noſtram & ipſius vnionem, totum quicquid eſt, quod hanc vnionem dirimat, vel impediat, huiuſmodi lachrymis expurgari neceſſe eſt. Alterum verò eſt, quod ſacros hos Domini pedes, exterges capillis tuis, quod tum effeceris, quando pro plenaria tuorum peccatorum remiſſione impetranda, & pro gratiarum amiſſarum recuperatione inuenienda, paratus eris libenter omnia, quæ poſſides, temporalia reſignare, & prompto animo offerre, vel in augmentum diuini miniſterij, vel in vſus pauperum. Huc accedit, quod perfectam quoque voluntatem peccata omnia, quamlibet parua, deuitandi, habere te oporteat: ita vt mori potius velis, quam peccare denuo. Deinde ardenti cum deſiderio virtutes omnes amplecte-

ris, cunctis vitiis moriendo, eiſdemq; virtutibus crucifiges corpus tuum, iuxta Chriſti pro te crucifixi ſimilitudinem (vti ſupra in ſeptimo exercitio latius habetur:) vt ſic honorem illi ſuum, quo eum peccando priuaſti, aliquo modo reſtituere poſſis. Tum verò Deo tuo humiliter confidere poteris, cūctos illum defectus tuos, in æternum ac immenſum exuberantium meritorum ſuorū pelagus abſorpſiſſe, eosque penitus tibi condonaſſe.

Et tunc quidem omnibus peccatis tuis, quæ cum incipientibus ita abſterſiſti, inferius prorſus relictis, ad ſanctas illius manus, quas charioribus amicis ſuis in ſignum amicitiæ porrigit, cum proficientibus aſcendes. Hic verò iam propiùs accedens ad Deum, tanquam amoroſam cum illo vnionem petiturus principio quidem curas omnes, diſtractiones & creaturas excludas

opor-

oportet à corde, & in Deum, cui nihil perire poteſt, proiicias: Deumq́; tibi reuera præſentem, teq́; ardentiſſimè diligentem attendas: atque ita & te in Deo, & Deum in te, vt ita dicam, includas, collectis pariter vniuerſis viribus & ſenſibus tuis, intra ſacratiſſima manuum Ieſu vulnera. Deinde patrem orabis cœleſtem, vt ſua infinita potentia è memoria tua cunctas amoueat importunas imagines, & affectiones à virtute extraneas, ipſamque ſeipſo, & diuinis repleat imaginibus, & deſideriis. Rogabis & filium, vt æterna ſua ſapientia intellectum tuum agnitione ſummi & increati boni, beneficiorumq́; ſuorum, ac ſuæ voluntatis, & tuæ propriæ vilitatis, clementer illuſtret. Orabis etiam Spiritum ſanctum, vt ſua incomprehenſibili bonitate volũtatem tuam, & affectus omnes prorſus in ſe rapiat, abſorbeat, & ardentiſſi-

Inuoca patrem.

Filium.

Spiritum ſanctum.

tiſſima charitate inflammet. Denique & crucifixum Ieſum inſtanter humiliterq́; precaberis, vt per ſanctiſſimas vires animæ, ſenſusq́; corporis ſui, omnes vires ſenſusq́; tuos, cunctis nudare phantaſmatibus & vitiis, reformareq́; & perficere illas & regere in ſeipſo dignetur.

Ieſum crucifixum.

Exerce intellectum.

Hinc iam duæ animæ vires, intellectus videlicet & voluntas, quoties Deo vt vniantur, deſideras, de nouo tibi, non abſque labore, excitandæ ſunt & acuendæ. Intellectum extendes ad cognoſcendum ſummam Dei bonitatem, infinitam charitatem, nobilitatem, ſanctitatem: & ad mirandum ſtupenda dilectionis eius opera, quæ tibi exhibere dignatus eſt, & ſingulis momentis adhuc exhibere non ceſſat: colligendo omnia illa beneficia, velut in faſciculum quendam, quæcunque cœleſtis pater, per ſe, & per vnigenitum filium ſuum tibi imme-

immerito, ſi non ingrato præſtitit. Poſt diriges & extendes eo voluntatem tuam, vt illum amare, & deſiderare incipiat, quem per intellectum cognouerit ſummum eſſe bonum: cuius beneficia viderit ſua merita in infinitum excedere. Quamobrem toto affectu redamabis illum vehementiſſimum amatorem tuum, imo infinitum amorem, te perpetuo amantem, & hoc amore triplici. Primò amore integro & nudo, vt ſis nudus & expeditus, ab omni vitioſa creaturarum dilectione, cum Deus totũ & integrum amorem noſtrũ ſolus ſibi ſummo iure vẽdicet: & dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis pauper & nudus, amore tamen diues, mortuus ſit in cruce. Secundò, etiam puro amore nobis diligendus eſt Deus, hoc eſt, non fucato, non humano aliquo com modo mixto, non ad noſipſos reflexo, ſed recto & ſincero, quem

Voluntatem.

Amore tripli-ci diligendus Deus.

non ſuggerit nobis carnis aut ſanguinis blanda, falſaq; perſuaſio, ſed adhortatio ſancti ſpiritus, per quem diffunditur in cordibus noſtris. Hæc autem amoris puritas potiſſimum prouenit ex recta mortificatione incompoſitarum paſſionum, & vitiorum omnium diligenti extirpatione: nec non ex bona conſtitutione affectuum, & ex virium animæ prudenti gubernatione; quæ facit, vt anima munda & expedita ſit, & in vera ordinatione & puritate omnium virium animæ, vt à mediis quibuſlibet, & imaginibus malis, Deumq; ſuum mundo corde, ac puro complectatur amore. Tertiò, vehementi & efficaci Deus amore diligendus eſt, qui vtrunque iam dictum amorem conglutinet, perficiatq;, & te Deo, quaſi vnus cum ipſo ſpiritus ſis, coniungat; vt deinde nihil amplius ſentias, nihil magis ſpires, quàm amorem tuum Ie-
ſum

ſum dulciſſimum vbicunque, vel apud quoſcunque te eſſe contingat. Hic autem amor nunquam te ab amando, & teipſum totum in Dei gloriam impendendo, quieſcere ſinet: ſed huc te impellet, huc te rapiet, huc te inſtigabit, quod ex ſingulis quibuſque arborum foliis, vel aliis ſimilibus minutulis creaturis tuo conſpectui ſe offerentibus & pereuntibus angelicam optabis, ſi in te eſſet, facere creaturam, quæ tecum amaret, laudaretq; Deũ creatorẽ tuum: imo ſi poſſibile tibi foret, ex quibuſlibet hominibus multos angelorum choros, multasq; cœleſtium Spirituum myriades condere, quos illi offerre, ad ſuã laudem & gloriam poſſis, id tibi gratiſſimum eſſet, & libentiſſimè faceres. Quid ergo omnia alia ſiue proſpera, ſiue aduerſa ſint; & quæ vel in poteſtate tua ſunt, vt facias, vel in voluntate tua, vt ſuſtineas, huius amoris vehe-

mentia incitatus, ad ſummam laudem & gloriam domini Dei creatoris & amatoris tui referre non ſtudeas?

Hoc iam triplici amore ornatus & accenſus, ſenſus corporis viresque animæ tuæ fortiter intra te colliges, & intrahes introrſus in te ipſum, quaſi rebus omnibus mortuus: atque ita ad digniſſimum atq; dulciſſimum cor Ieſu, dulci quodam amore accedens, in illud velut in immenſum quoddam ſummæ bonitatis pelagus & in infinitæ charitatis abiſſum, his quatuor exercitiis gradibus ingredieris. *Reſignatio.* Primo teipſum totum cum vniuerſis creaturis, in ſimplicitate cordis tui, cum anima, corpore & tota ſubſtantia tua, liberrimè in amabiliſſimam Dei voluntatem, ad omnem etiam aduerſitatem & preſſuram cordis, & dolorē corporis perferendum: & ad omnia quæ tibi euenire volet Deus, te offe-

offeres paratum, ſupplicans vt te talem efficiat poſſideatq;, ſicut illi placuerit.

Secúdo humiliter exiges à domino Deo tuo, nõ ſolum omnes gratias & dona, quæ ipſe habet, quibuſq; tu indiges: ſed etiã totũ, quod Deus eſt, vt eo ſolo frui valeas nunc & æternaliter. Poſtulabis etiã claram cognitionẽ diuinę bonitatis & voluntatis, & tuæ indignitatis, & omniũ virtutũ notitiã & perfectionẽ, fortemq; in omni virtute perſeuerantiã, quantum id poſſibile fuerit impetrare, vel habere in hac vita. Deinde & omnia alia neceſſaria pro ſalute tua, & tuorũ ſpecialiũ, & pro pace & trãquillitate totius Eccleſię, & animarum in Purgatorio, liberatione. Et quia Deus æterna charitas eſt, qui te ab ęterno dilexit, idcirco tertio te illi cõformabis dilectionis perfectiõe videlicet deſiderãdo, ſi ei gratũ foret, in tanta derelictione, paupertate & miſe-

Poſtulatio.

Confirmatio.

ria viuere propter eius amoris cõformitatẽ, in quanta Chriſtus ipſe vixit: eiſdemq; virtutibus animã tuam ornari, quibus ipſe ornatus fuit. Quarto, ſine intermiſſione

Vnio. deſiderabis, vt dño Deo tuo poſſis abſq; vllo medio vniri. Et cum illi iã vnitus fueris, quantũ Deus ipſe dederit, tam profunde te immerges, abſcõdes, & trãsferes in dulciſſimũ Deum tuũ, hoc eſt, in ipſum æternũ amorem tuũ, vt nihil amplius niſi diuiniſſimum illum & dulciſſimũ amorẽ perpetuo te amantẽ ſentire & ſapere vi-

Abſorptio. dearis. Deinde etiã deſiderabis à ſummo bono abſorberi, & in illud trãsformari, quo, quid ſublimius, quid profundi⁹ eſſe poſſit, nihil video: quũ bonũ illud incõmutabile verè ſit abyſſus quędam immẽſa æterni & infiniti amoris, & excellentiſſimæ bonitatis fons & origo. Sicq; in corde Ieſu totus liquefias ex iugi cõſideratione & apprehenſione ſuperadmirabilis amo-

amoris & bonitatis Domini Dei ſponſi tui dilectiſſimi, rogās eundem hoc, vel ſimili modo: O ſuperadmirabilis potentia, ſapiētia & bonitas dn̄i Dei mei. O ſuperadmirabile mirū, & ſuperadmirabile bonum, quando me totum transformabis & abſcōdes in te, & te in me? Quod enim eſt mari abſorbere vnam guttam, hoc tibi eſt abſorbere me infirmā & vilem creaturam tuā. O domine Deus meus, vtinā poſſem ex qualibet anima, maximè autē mea, facere tibi nouū regnum cælorū, in quo honorem & gloriā haberes; libētiſſime tibi darem, & toto corde offerrem pro omnibus culpis & negligentiis meis, atq; etiam pro recōpenſatione ſatisfactionis delictorum meorum, & omniū hominum. Patiar quęſo pro honore tuo quæcunq; volueris, & laudē te iugiter in omnibus. Aperi mihi quæſo, delitioſiſſimas diuitias ſuperardētiſſimæ bonitatis & lōgani-

ganimitatis tuæ, & abſcondas me in te, vt meipſum extra te nunquam inueniam.

Poſtremò ſi hoc XIIII. exercitium, ſicut & alia, duabus in die horis, (quantum naturę, & ſtatus tui ratio permiſerit) obſeruaueris, per XXXIII. dies continuos, in memoriam & honorem annorum vitę Chriſti: & interim quotidie, ſi commode potueris, communicaueris, ſpero quod nõ exiguus inde profectus in omni virtute, & tuiipſius vera mortificatione, & reſignatione, prouenturus ſit. Et poſtea omni die ſemel cæleſti ſpõſo tuo per hoc idẽ exercitium, mane aut alio cõgruo tempore te reſignabis, offeres, & abſq; vllo medio puriſſimè vnies, quãtum per Dei gratiã potueris; ſeptimum etiã nihilominus exercitium ſupradictũ, nunquam deſerturus. Ad laudem Dei ſublimis & glorioſi in ſecula benedicti, Amen.

FINIS.

INDEX ARGVMENTORVM IN SINGVLA EXERCITIA.

Deus quid ſit, quid eius perfectiones, & amor ad homines, quomodoq́; ad eiuſdem cognitionem pertingere liceat. Exercitium. I. *pagina* 19.

Homo quam ſit nobiliter creatus, misereq́; collapſus: miſeria item hominis triplex quæ ſit, quomodoq́; ad ſui cognitionem pertingere quis poſſit. Exercitium. II. *pag.* 28.

Peccatorum enormitas quanta ſit: quo item pacto ſeſe vnuſquilibet à peccatis per pœnitentiam expurgare debeat. Exercitium III. *pagina* 32.

Mortificandi, rectificandiq́; hominis ſenſus quinque quomodo ſint. Exercitium IIII. *pagina* 43.

Vita illuminatiua quomodo auſpicanda. Vires animæ tres quomodo reformandæ caſtigandæq́; ſint. Exercitium. V. *pag.* 47.

Mortificatio duodecim radicum vitiorum omnium quonam pacto exercenda ſit. Exercitium. VI. *pag.* 51.

De vero odio omnium peccatorum, & acquiſi-

quiſitione omnium virtutum. Exercitium. VII. *pag.* 70

De pleniori conformatione & transformatione in crucifixum. Exercitium. VIII. *pag.* 107.

Vt quæq; ſuperflua & impedimenta abiicienda ſint. Exercitium. IX. *pag.* 122.

Vt omnem hominem diligamus ſicut noſipſos. Exercitium. X. *pag.* 124.

Vita vnitiua quomodo exercenda ſit: vt ſit abſq; omni creatura, peccato, & delectatione viuendum. Exercitium. XI. *pag.* 127.

De *aſpirationibus, reſignatione, & poſtulatione.* Exercitium. XII. *pag.* 131.

De *conformatione & vnione cum* Deo. *Exercitium.* XIII. *pag.* 137.

Quomodo in Deo *viuas, & frequenter vnionem renoues.* Exercitium. XIIII. *pagina* 147.

Liber hic piorum exercitiorum, cuius auctor eſt Reuerendus in Chriſto Pater ac dñs, dominus Nicolaus Eſchius, paſtor Beginagij Dieſthen. lectus ac examinatus à domino ac magiſtro Iacobo Coemans ab Horſt ſacræ theologiæ doctore, ac apud D. Bauonem, Gandaui ſcholaſtico, dignus ab eo iudicatur qui imprimatur ac vendatur.

Ita atteſtor manu propria,
Iacobus qui ſupra

SVMMA PRIVILEGII.

REGIAE Maieſtatis priuilegio cautum eſt,ne quis citra Chriſtophori Plantini Typogtaphi iurati Antuerpienſis voluntatem, hunc librum, cui titulus eſt, *Exercitia quædam pia,quæ compendio hominem ad vitam perfectam inſtituendam iuuare poſſunt: Authore Reuerendo Patre*, D. Nicolao *Eſchio: Iam primum ab ipſo recognita, & elaboratiùs in lucem edita*, intra ſexennium imprimat, aut alibi impreſſum importet venalémve habeat, intra omnes eius ditionis fines. Qui ſecus faxit, confiſcationis librorum,& pœna fiſco regio exſoluenda mulctabitur, vt latiùs patet in ipſo diplomate, dato Bruxellæ. M. D. LXVIII. 21. Auguſti.

Subſignat.

I. de VVitte.

1.003.850